DISQUISITIO

CRITICA

DE FONTIBUS ET AUCTORITATE

CORNELII NEPOTIS.

AUCTORE


J. J. HISELY,

Ph. Th. M., Lit. H. Doct.

DELPHIS BATAVORUM,

APUD VIDUAM J. ALLART.

MDCCCXXVII.



neque casum meum tam graviter tuli; namque caveram ne unquam libellus iste mihi dedecori esset. Attamen versabatur mihi eum tempus illud ante oculos, quod in hacce disquisitione consumsi, tum severitas Societatis, quae in mentem revocasse vellem nos literatos, etsi doctissimi vocamur, rerum antiquarum esse investigatores, non Oedipos. Deinde, videbatur mihi, videbatur et non nullis doctrina conspicuis viris, opus hoc scriptum diligentius quam quod in obscuro lateret. Itaque occasione ad ipsum edendum oblata, non erat cur eam dimitterem. Sed priusquam typographis traderetur immutavi pauca, addidi etiam nonnulla, veluti pag. 26, *not.* 10. *p.* 46, *not.* 9. *p.* 126, *ult. part. not.* 3. *p.* 147, *vs.* 26, 27. *p.* 155, *vs.* 6—9, 21—25. *p.* 166, *ult. part. n.* 13. *p.* 185, *vs.* 23—30. *p.* 189, *vs.* 20. *verba* ex Catonis Originibus.

Caeterum, puto posse probari consilium meum, neque aliquem dicturum, me bellum literarium conflare cupivisse; quod Deus avertat! Namque tanta est mea in illustrem Societatem Rhenotraiectinam observantia, ut si hoc edendo libro in eam aliquid peccavi, id mihi ignosci pervelim.

Scribebam Hagae-Comitis,

Kal. Nov. An. MDCCCXXVII.

DISQUISITIO

CRITICA

DE FONTIBUS ET AUCTORITATE

CORNELII NEPOTIS.

PROLOGUS.

Res ipsa hortari videtur, prius de virtutibus historicis libri Nepotis quam iudicemus, quo consilio ille Imperatorum vitas exposuerit, videre.

Vacillante, vehementerque periclitante libertate Romanorum potentiâ et immoderatâ quorumdam imperatorum ambitione, CORNELIUS NEPOS, Attici et Ciceronis, quorum intima utebatur familiaritate, prosequens vestigia, et Rei publicae mederi cupiens, vitas veterum illustrium imperatorum composuit, cum, ut illis penes quos erat summa rerum, eas tamquam exempla proponeret, tum, ut maiores civibus adderet animos, eosque ad patriae ac libertatis amorem, nimiaeque superbiae odium incitaret. Quamobrem cum ple-

rique cives graecas res vel plane ignorarent, vel leviter tantum tractassent, latine scripsit; et, ut mederetur tum ignorantiae, tum satietati lectorum, hique aliorum virtutes imitarentur, aliorum vitia abhorrerent, atque operi insertas bono cive Romano dignas sententias arriperent, cupivit se esse brevem, perspicuum, iucundum, nec nisi summas res attigit, quibus magis lucide appareret, quales quantive fuissent illi viri, quorum vitas enarrasset. Hanc Harlesii (1) meamque opinionem de caussa, ob quam patrio sermone usus sit Nepos, vel uno loco ipsius auctoris firmatam censeo: « Pelopidas Thebanus, inquit, magis hi« storicis, quam vulgo notus (est). " Quid hic sibi velit Nepos, non vidit Lambinus, non intellexerunt caeteri interpretes, quantum scio (2). Sed, ut saepius fit, quando haec et alia non perspicimus, pronuntiarunt nonnulli, Cornelium esse lapsum, quum Diodorus Sicul. (3) aperte declaret Πελοπίδαν μὲν διὰ τὴν ἰδίαν ἀρετὴν ὑπὸ πάντων ἀποδοχῆς ἠξιωμένον, κ. τ. λ. At hoc sibi vult Nepos: Pelopidam Thebanum magis historicis romanis, qui literas graecas callebant, quam vulgo romano earum rudi (ut ipse mox observat) notum esse.

---


(1) Conf. TH. CH. HARLES. *Introd. in notit. Literat. Rom.* Part. I. p. 367, sq.

(2) Nec enim ex HEUSINGERI ad h. l. notâ: « Doctis magis viris historiae peritis, quam ceteris, notus," video eum nostram explicationem occupasse.

(3) DIOD. SIC. lib. XV, c. 81.

Opus eius naturali divisione in duas distinguitur partes. Altera continet vitas eorum imperatorum, qui omnes ingenii corporisque vires contulerunt ad opprimendam tyrannidem et patriam servandam; quique consulere omnium libertati quam suae maluerunt dominationi. Hae sunt vitae, quas popularibus cuiuslibet ordinis tamquam exempla proponit, atque egregiis observationibus sententiisque illustrat, ex quibus sequentes mihi exhibeo.

Omisso cap. II. Miltiad., quo de aequitate ac iustitia, qua vir ille res constituerit, agitur, haec sumam ex cap. III et VIII. « Cuius (Miltiadis) « ratio (ut pons in Istro rescinderetur), etsi non « valuit, tamen magnopere est laudanda, quum « amicior omnium libertati, quam suae fuerit do- « minationi. — Tyrannus fuerat appellatus, sed « iustus. Non erat enim vi consecutus (domina- « tionem), sed suorum voluntate; eamque per- « testatem bonitate retinuerat. Omnes autem et « habentur et dicuntur tyranni, qui potestate sunt « perpetua in ea civitate, quae libertate usa est. « Sed in Miltiade erat cum summa humanitas, « tum mira comitas, ut nemo tam humilis esset, « cui non ad eum aditus pateret: magna aucto- « ritas apud omnes civitates, nobile nomen, laus « rei militaris maxima." — Cui Miltiadis agendi rationi infra opponit cupiditatem et superbiam Pausaniae, qui, « pari felicitate in ea re (ad Hel- « lespontum) usus, elatius se gerere coepit, ma- « ioresque appetere res. Nam — ut filiam Xerxis



DISQUISITIO
CRITICA
DE FONTIBUS ET AUCTORITATE
CORNELII NEPOTIS.

DISQUISITIO

CRITICA

DE FONTIBUS ET AUCTORITATE

CORNELII NEPOTIS.

testis est Marcellinus, qui, in vit. Thucyd., non procul ab initio, haec eius affert verba: « Φιλαίας δὲ ὁ Αἴαντος, οἰκεῖ ἐν ταῖς Ἀθήναις· ἐκ τούτου δὲ γίγνεται Δάϊκλος· τοῦ δὲ, Ἐπίδυκος· τοῦ δὲ, Ἀκέστωρ· τοῦ δὲ, Ἀγήνωρ· τοῦ δὲ, Ὄλιος· τοῦ δὲ, Λύκης· τοῦ δὲ, Τύφων· τοῦ δὲ, Λάϊος· τοῦ δὲ, Ἀγαμήστωρ· τοῦ δὲ, Τίσανδρος, ἐφ' οὗ ἄρχοντος ἐν Ἀθήναις· τοῦ δὲ, Μιλτιάδης· τοῦ δὲ, Ἱπποκλείδης, ἐφ' οὗ ἄρχοντος Παναθήναια ἐτέθη· τοῦ δὲ, Μιλτιάδης, ὃς ᾤκισε Χεῤῥόνησον." — Sed huius fragmenti posteriorem partem claudicare, locumque esse mutilum, etsi ab aliis non esset animadversum, vel prima lectione cuique statim sub aspectum caderet. Quid enim haec sibi volunt τοῦ δὲ Τίσανδρος, ἐφ' οὗ ἄρχοντος ἐν Ἀθήναις..? deesse nonnulla clarum est. Ecquid vana illa repetitio verborum ἐφ' οὗ ἄρχοντος? — Porro nemo usquam legit Tisandri filium fuisse Miltiadem, huiusque natum Hippoclidem; e contrario, hunc ipsum Hippoclidem diserte filium Tisandri vocat Herodot. VI. 127. Haud iniuria igitur eam fragmenti partem transponendam, omissa supplenda, repetita removenda existimavit RUTGERS. *Var. Lectt.* cuius sententiam utique probavit STURZIUS (2), ut, inde a verbis τοῦ δὲ Ἀγαμήστωρ ita legantur caetera. τοῦ δὲ, Τίσανδρος· τοῦ δὲ, Ἱπποκλείδης, ἐφ' οὗ ἄρχοντος (3) ἐν Ἀθήναις Παναθήναια ἐτέθη· τοῦ δὲ, Μιλ-

(2) PHERECYD. *Fragm.* p. 89—91.

(3) Olymp. LIII. quo tempore Panathenaea instituta esse, ostendet SIMSON. *Chron. Cathol. ad A. M.* 3439. pag. 619. edit. Wessel. Cf. STURZ. l. c. p. 91.

φιλίδης, τοῦ δὲ, Κύψελος, τοῦ δὲ, Μιλτιάδης, ὃς ᾤκισε Χεῤῥόνησον. Atque ita restitutis Pherecydi suis, optime consentiet is cum Herodoto, qui, Miltiadem illum, qui πρῶτον ἀπετείχισε τὸν ἰσθμὸν τῆς Χεῤῥονήσου, expresse Cypseli filium appellat (4).

Nec alium intelligi puto ab Ephoro, apud Suidam, v. Κριθώτη, μία πόλις τῶν ἐν Χεῤῥονήσῳ. — Ἔφορος δ' ἐν τετάρτῃ φησὶν αὐτὴν κατοικισθῆναι ὑπὸ Ἀθηναίων τῶν μετὰ Μιλτιάδου ἐκεῖ παραγενομένων. Utinam plura de hoc viro ad h. l. pertinentia ex Ephoro transcripsisset Suidas; tum dilucidius adhuc appareret, Nepotem Miltiadem iuniorem cum antiquiore confudisse. Sicuti μεταχρονισμοῦ hac in re Nepos, ita προχρονισμοῦ damnandus est Aelian. Var. Hist. XII. 35, siquidem scribens Μιλτιάδαι τρεῖς (ἦσαν), ὁ τὴν Χεῤῥόνησον κτίσας, καὶ ὁ Κυψέλλου, καὶ Κίμωνος, perperam quod de Chersoneso alteri Miltiadi tribuendum est, ad priorem refert.

Praeterea, in duobus primis huius vitae capitibus tanto spatio distat ab Herodoto Nepos, ut manifestum sit eum alios secutum esse auctores. Sed quid de his disputem? Si enim censeas in universum Herodoto, prudentissimo historico, Miltiadis nostri fere aequali, quique ex testibus oculatis totam eius historiam audivit, cognovit, literis consignavit perdiligenter, multo maiorem esse tribuendam fidem, quam biographo Romano, haec tua sententia mihi plane probatur.

---

(4) Vid. HERODOT. VI. 34—36, 103.

Est alia res, quam, etsi levis videtur, silentio praeterire nolo. Narrat Herodotus VI. 139, Pelasgos, quum Athenienses ab iis postulassent, ut terram suam Lemnum sibi traderent, respondisse: « Tum vobis eam tradimus, quum vento bo- « rea navis e vestra terra, eopse die, in nos- « tram pervenerit. " Nam Attica terra procul a Lemno meridiem versus iacente, putabant nequaquam fieri posse, ut Athenienses, flante aquilone, Athenis proficiscentes, uno et eodem die Lemnum pervenirent. Itaque plane declarabant, numquam sese Atheniensibus reddituros. Quis non sentit totam huius cavillationis acerbitatem in his vocibus *uno et eodem die* sitam esse? Apud Nepotem non idem legitur, sed Miltiadi respondent insulae Lemni incolae: « tum id se factu- « ros, quum ille domo navibus proficiscens, vento « aquilone venisset Lemnum." Stolidum et ridiculum responsum; quasi vento borea numquam Septemtrionem versus navigassent Athenis proficiscentes, aut vel plurimis diebus, aquilone Lemnum venire non potuissent! Aut necesse est *eodem die* ex membranis semel et iterum (cap. I et II.) excidisse, aut festinantem Nepotem vocem αὐτημερὸν non vidisse.

Jam vero ad tertium caput transeamus; nam propter Nepotis brevitatem saepius hanc viam ingredi atque res ab eo narratas carptim tractare, cumque aliorum scriptorum traditis conferre cogemur. In hoc autem capite, cum de Darii ex Asia in Europam transitu, tum de ponte in Istro

flumine 'facto', etc. nullum aliam Nepos secutus est scriptorem quam Herodotum, cuius ex lib. IV. c. 137. ea, quae de Histiaeo narrat, ad verbum pene expressit. In hoc tamen nonnihil ab illo discrepat, scribens Miltiadem pontis custodes hortatum esse, ut eum rescinderent, quum Herodotus contra referat, hoc consilium ab ipsis Scythis suggestum, a Miltiade vero approbatum atque commendatum fuisse (5). Sed si hac in re debeat reprehendi Nepos, est error tamen parvi momenti.

Caput IV. totum sumsisse videtur ex Herodot. L. V. 105. VI. 94, 101—109; nisi exceperis numerum navium copiarumque Persicarum, quo de numero iam inter Veteres magnam fuisse discordiam constat. Hoc autem unicuique notum est, historicos in proeliorum descriptionibus, in pugnantium numero, etc., semper fere discrepare. Eoque minus mirandum de numero navium militumque Persarum in hac expeditione inter veteres non esse concordiam, quod pugna Marathonia ab innumeris auctoribus descripta fuit. Nepos, ni res me falsum habet, medium tenet maximum inter et minimum numerum, quae prudens agendi ratio minime spernenda est.

Cap. V. Plataeensium adventu, decem millia armatorum completa fuisse, tradit Noster. Recte, ut mihi videtur. Fuerunt, consentiente Trogo, aut eius epitomario Justino L. II. c. 9. mille

(5) Herodot. IV. 133, 137. VI. 41.

Plataeenses; Athenienses igitur novies mille, quod vult Plutarch. in parall. Et Noster ferens, peditum centum, equitum decem millia in aciem produxisse Datin, haudquaquam numerum plus aequo contraxisse videtur, quum, procul dubio, non totum hostium exercitum, verum eos tantum milites qui a Dati in pugnam deducti sunt, praeter copias quas secum habebat Artaphernes, prodere voluit. Non enim verisimile est, universos Persas proelio Marathonio interfuisse, praesertim quum paucitatem Graecorum contemnerent (6).

Itaque parum accurate scripsit Trogus, I. 6. Graecos adversus 600,000 hostium in proelium egressos esse, atque 200,000 eorum occidisse; quum Herodotus testetur, ex Persis in ea pugna circiter 6,400 cecidisse (7). Quem vero Nepos in his potissimum probaverit auctorem, utrum Ephorum, an Dinonem, quem in Persicis rebus, posthabitis caeteris scriptoribus, sibi ducem elegisse ipse testatur in Con. c. 5, non habeo dicere.

C. VI. De proemio ab Atheniensibus Miltiadi ob praeclaram victoriam tributo, de pictura scilicet in Poecile, plures scripserunt. Nepos sua mihi videtur sumsisse ex Aeschine κατὰ Κτησιφ. qui hanc rem pulchre et ornate tractavit, ut iam ostendit Lambinus. De statuis postero tempore

---

(6) Herodot. VI. 112.
(7) Herodot. VI. 117.

Demetrio Phalereo decretis multi testantur veteres; quod etiam monuerunt interpretes.

C. VII. Singulas res, quas septimo capite tractavit Cornelius, si cum Herodoti traditis, l. VI. c. 132 — 137, conferas, statim tibi in oculos incurret, hunc non unicum eum habuisse ducem; si vero ad summam rerum ibi tractatarum attendas, talem inter ambos auctores animadvertes convenientiam, ut facile mecum coniicias, aut Nostrum illi de gravioribus multum credidisse, aut eius tradita cum aliis auctoris traditis diligenter comparasse, et in diversitate narrationis delectum fecisse. In historia Miltiadis adversus Parum expeditionis, rerumque ibi infeliciter gestarum, secutus est Ephorum, Lib. X. cuius verba apud Stephanum περὶ Πόλεων, v. Πάρος, adscribam:

« Ὁ δὲ Μιλτιάδης, τῶν μὲν ἄλλων νήσων, τινὰς ἀπο-
« βάσεις ποιησάμενος, ἐπόρθησε. Πάρον δὲ εὐδαιμο-
« νεστάτην καὶ μεγίστην οὖσαν τότε τῶν Κυκλάδων,
« καθεζόμενος ἐπολιόρκει πολὺν χρόνον τῆς θαλάττης
« εἴργων, καὶ κατὰ γῆν μηχανήματα ἄγων. Ἤδη δὲ
« τῶν τειχῶν πιπτόντων, καὶ ἐπὶ τὸ παραδιδόναι τὴν
« πόλιν διωμολογημένων, ὕλης τινὸς ἐξ αὐτομάτου περὶ
« τὴν Μύκονον ἐξαφθείσης, οἱ μὲν Πάριοι τὸν Δᾶτιν
« αὐτοῖς πυρσεύειν ὑπολαβόντες, ἐψεύσαντο τὰς ὁμο-
« λογίας, καὶ τὴν πόλιν οὐκέτι τῷ Μιλτιάδῃ παρέδο-
« σαν.»

Iuvat etiam Scholion in Aristide, L. III. p. 292, a celeberrimo Valckenario ad Herodot. VI. 136. editum emendatumque hic apponere: « Ἐνα λέ-
« γει τὸν Μιλτιάδην· ὅτε γὰρ ἐκρίνετο ἐπὶ τῇ Πάρῳ,

« ἐθέλησαν αὐτὸν κατακρημνίσαι. ὁ δὲ Πρύτανις εἰσελ-
« θὼν ἐξῃτήσατο αὐτόν· ἡ δὲ αἰτία τῆς Πάρου
« αὕτη ἦν, καταδουλοῦσθαι τὰς νήσους τοῖς
« Ἀθηναίοις (8)· καὶ ἐξελθὼν εἰς Πάρον πρώτην,
« καὶ παρελθὼν εἰς τὸ ἱερὸν μεμαλυσμένος αἵματι τῶν
« πολεμίων, οἱ μὲν φασὶν ὡς βέλει ἐβλήθη (9). οἱ δὲ
« ὡς ἀπὸ τοῦ τείχους κατηνέχθη· καταεαγὼς οὖν τὸν
« μηρὸν (10) ὑπέστρεψεν ἄπρακτος, καὶ ἐκρίνετο. » —
Caeterum pro infelice Miltiade verba fecisse amicos, tradit Herodot. l. c. In his quoque sua debere Ephoro Nepotem, opinor cum Valckenario.

Jam vidimus Nepotem in Miltiadis vita duos saltem scriptores secutum esse, Herodotum et Ephorum. De priore taceo, quoniam eius novem libri in omnium versantur manibus; de

---

(8) Ex his, quae, ni fallor, sunt Ephori, et ex sequentibus HERODOTI VI. 133: — ὡς οἱ Πάριοι ὑπῆρξαν πρότερον στρατευόμενοι τριήρεϊ [τριήρεσι] ἐς Μαραθῶνα ἅμα τῷ Πέρσῃ, scripsit NEPOS, Miltiadem naves impetrasse, « ut insulas, quae bar« baris adiuverant, bello persequeretur. »

(9) Ephorum non immerito suspicor. — Cum haec et modo dicta iam scripsissem, vidi MARXIUM in *Ephor. fragm.* [nondum enim ad me pervenerat egregius libellus], p. 212, arbitrari, totum illud Scholion ex Ephoro esse depromptum.

(10) Haec et quae de templo dicta sunt, magis accedunt ad sententiam HERODOTI VI. 134. — Quum igitur pateat Miltiadem grave vulnus, de quo hic agitur, in Paro insula accepisse, minus recte scripsit CICERO *de Re Pub.* L. I., c. 3. Miltiadem in vincula coniectum esse « nondum sanatis vul« neribus, quae corpore adverso, in clarissima victoria (Ma« rathonia) accepisset. » — Pariorum de vulnere Miltiadis narratiunculam, valde suspectam, admittere noluit NEPOS.

Ephori vero auctoritate nonnulla sunt dicenda, ut videamus quantum ipsi Cornelio fidei tribuendum sit.

Ephorus Demophili filius, patriâ Cumaeus, et Isocratis discipulus, magnum adeptus est inter historicos et oratores nomen, ut qui res passim gestas describens non dictionis elegantia duntaxat, sed accurata quoque ordinis observatione, probi officio historici functus est, teste Diodoro (11), ex quo etiam novimus Ephori Ἑλληνικὰ, seu Graecas Historias, in XXX volumina, singulis prooemio praemisso, distributas, res a Graecis et Barbaris, ab Heraclidarum reditu usque ad Perinthi obsidionem, Olymp. CIX, 4. ant. Chr. 340, frustra a Philippo tentatam, i. e. per ferme 750 annorum decursum gestas, omissis quidem veteribus fabulis, comprehendisse (12).

Auctoritas tamen huius historici nonnullis suspecta fuit. Eum non religiosissimae fidei fuisse, sed saepe deceptum, saepe decepisse, ait Seneca (13), cui adstipulantur haec Diodori verba: « οὐκ ἄν τις παρ' Ἐφόρῳ ζητήσειεν ἐκ παντὸς τρόπου « τἀκριβὲς, ὁρῶν αὐτὸν ἐν πολλοῖς ὠλιγωρηκότα τῆς ἀ- « ληθείας (14).” Haec autem non de historiis eius

(11) Diodor. sic. V, 1.
(12) Diodor. sic. XVI, 76. IV, 1.
(13) Senec. *Natural. Quaest.* l. VII. c. 16.
(14) Diodor. sic. I, 39, fin. Cf. Voss. *de Histor. Gr.* p. 35 seq. ubi testimonia de eo collecta invenies. Attamen de Ephoro eiusque scriptis et auctoritate consul. ante omnes Marxius.

temporis, verum de antiquioribus accipienda esse, non dubito. Et in his quidem omnem illi fidem abnegare iniquum foret. Gravis Plutarchus non certe sine caussa eum inter principes historicos recenset, atque saepius ad eius auctoritatem provocat (15). Et ipsum Diodorum, Strabonemque permulta ex eo sumsisse, quis ignorat? Doctissimus Marxius, qui, ut notum est, bene et composite de Ephori reliquiis disseruit, inter alia lectu dignissima, haec de eo profert, pag. 78: « Habuerit igitur Ephorus plura, quae reprehendi « in eo merito possent, hoc non prohibet quo « minus eum magnis Graecorum Historicis adnu- « meremus, qui res et facta maiorum patriaeque « gloriam ad sempiternam posteritatis famam per- « tulerunt." — Laudandus igitur est Nepos, qui talem scriptorem, haud secus atque eius condiscipulum Theopompum, sectatus est. — Jam mihi videor pronunciare posse, nostri Cornelii de Miltiadis vita, rebusque gestis, auctoritatem, inde a cap. III. ad finem usque, non levem esse. Duo priora capita spondere nolo, cum plane obscurum sit, quos ibi auctores ante oculos habuerit, et praeterea videatur in iis parum sibi cavisse.

(15) Vid. HEEREN, *de font. b. et auctorit. Plut.* p. 34.

II. THEMISTOCLES.

Themistocles, Neoclis filius, cuiatem habuerit matrem qui scire cupit adire potest interpp. et Athenaeum, a quibus tamen vereor ne non abeat doctior. Hunc, antequam se rei publicae dedisset, fuisse mollem et luxuriosum, cum Nepote testantur Idomeneus Lampsacenus (1), Epicuri discipulus; Teleclides, qui floruit circa Olymp. LXXXIV (2), ἐν Πρυτάνεσι (3); Valer. Maxim. (4); et ipse Plutarchus (5). Haec autem ob vitia fuisse abdicatum a patre negat Plutarch.

(1) Apud Athenaeum L. XII. p. 533. XIII. p. 576.
(2) Vid. Voss. *de Hist. Graec.* p. 454.
(3) Apud Athen. L. XII. p. 553.
(4) Val. max. L. VI. c. 9. Ext. 2. quem auctorem, dum scribit matrem Themistoclis voluntaria morte finivisse vitam propter filii turpitudinem, falsitatis arguit Plut. in Themist.
(5) In lib. *περὶ τοῦ θείου βραδ. τιμωρ.* (ostendente Lambino): *„εἰ δὲ τις — Θεμιστοκλέους ἐφ' οἷς ἀσελγαίνων ἐκώμαζε καὶ ὕβριζε δι' ἀγορᾶς ἐφείλετο τὴν πόλιν,"* κ. τ. λ. Similiter in *Ἀποφθ. βασιλ. κ. στρατ.*: *„Θεμιστοκλῆς μειράκιον ὤν, ἐν πότοις ἐκυλινδεῖτο καὶ γυναιξί."*

in eius vita, et cum hoc Heusingerus, qui ad haecce Nepotis verba, cap. I. « vitia ineuntis adolescen- « tiae, " adiicit: « Quae vero (vitia) tanta non « fuerunt, quanta ea maledici scriptores aliqui « videri voluerunt. Plutarchus certe, nec pri- « mam Themistoclis aetatem ab optimis studiis « prorsus alienam fuisse, docet. Adde Aelian. « L. X. Var. Hist. c. 17. unde, Themistoclem « exheredatum non fuisse, colligitur. " Haec Heusingerus. At Aelianus, aut potius Critias, qui ei sua suppeditavit, non affirmat Themistoclem exheredatum non fuisse, sed tantum τρία τάλαντα ἔχειν τὴν οὐσίαν πατρῴαν. Quid vero, si ex eodem Aeliano ostendere possum, Themistoclem a patre fuisse exheredatum, seu abdicatum? ἐπεὶ γὰρ τῆς ἀσωτίας ἐπαύσατο Θεμιστοκλῆς, ἀποκηρυχθεὶς ὑπὸ τοῦ πατρὸς, καὶ ὑπήρχετό πως τοῦ σωφρονεῖν, sunt verba Aeliani, aut potius veteris scriptoris ex quo sua sumsit L. II. c. 12. — Non necesse est pluribus testibus ostendere, Nepotem haec sua non esse commentum. Caetera, quae de ingenio Themistoclis tradit, fatetur ipse se habere a gravissimo Thucydide (L. I. c. 138.), cui plura eum debere infra videbimus.

Cap. II. scribit Nepos: « bello Corcyraeo prae- « torem fuisse constitutum Themistoclem, et Cor- « cyraeos fregisse. " Non quaerendum unde haec petita sint: ignotum omnibus est id bellum, lapsusque Nepos. Meminerat quidem Themistoclem quadam in re Corcyraeorum non minimas egisse partes, atque ita confundit Aegineticum bel-

lum eum controversia inter Corcyraeos et Corinthios, in qua Themistocles *arbiter* electus, Corcyraeos non fregit, verum sibi conciliavit, teste Plut. in eius vita: « γενόμενος γὰρ (Θεμιστοκλῆς) αὐτῶν (Corcyraeorum) κριτὴς πρὸς Κορινθίους ἐχόντων διαφορὰν, ἔλυσε τὴν ἔχθραν, εἴκοσι τάλαντα κρίνας τοὺς Κορινθίους καταλαβεῖν." Quin etiam, cum, iam per ostracismum pulsus, Argis degeret, venirentque Athenienses et Lacedaemonii, qui eum comprehenderent, fugit ad Corcyraeos, ὢν αὐτῶν εὐεργέτης (6). Quomodo, quaeso, de Corcyraeis bene meritus esset, si eos fregisset? Audiamus scholiastam ad haec Thucydidis verba, ὢν αὐτῶν εὐεργέτης: « ἐπειδὴ γὰρ οὐ συνεμάχησαν οἱ Κερκυραῖοι τῇ Ἑλλάδι κατὰ τοῦ βαρβάρου, ἀλλὰ ἐσοφίσαντο, ἔμελλον αὐτοὺς ἀνελεῖν οἱ πολεμήσαντες· ὁ δὲ Θεμιστοκλῆς ἐκώλυσε, λέγων ὅτι, εἰ τοῦτο γένηται, καὶ τὰς μὴ συμμαχησάσας πόλεις ἀνέλωμεν, μεῖζον πάθος ἔσται τῇ Ἑλλάδι ἤπερ ὁ Πέρσης αὐτῆς κυριεύσας ἐπεξῆλθε. καὶ διὰ τοῦτο ἦν εὐεργέτης αὐτοῖς." Haec non somniavit Scholiastes. Nam revera Athenienses legatos miserunt ad Corcyraeos, qui ab iis auxilium peterent (Herodot. VII, 145.). Aliud vero legatis responderunt Corcyraei, aliud fecerunt: nam ubi adfuit auxilia mittendi tempus, naves quidem expleverunt sexaginta, sed inhibitis velis naves in alto tenentes, exspectaverunt exitum belli, atque ita Graecos illuserunt (Herodot. VII, 168.). Ne Graeci gravem hanc ul-

(6) Thucyd. I, 136.

cisceréntur injuriam, auctor fuit Themistocles.

Deinceps, quae attinent ad metalla Laurioticà, etc., sumsit Nepos ex Herodot. VII, 144. — At dicet quis, « Herodotus affirmat, pecuniâ publicâ, e Laurio collectâ, suadente Themistocle, 200 naves fuisse aedificatas, et Nepos de 100 solum loquitur." — Non me hoc fugit, neque lapsus est Nepos, ut perperam creditum a nonnullis. Quum audivissent Graeci Xerxem in eorum regionem impetum facturum, de communi consilio placuit primum rerum omnium componere inimicitias et mutua dissidia, quae inter ipsos locum obtinerent. Tum statim Athenienses conflatum inter se et Aeginetas bellum dissolverunt (7). Idcirco naves illae 200 non sunt adhibitae in eum usum, ad quem comparatae fuerant, et ita opportuno tempore in promtu fuerunt Graeciae (8). Suntque eaedem ducentae naves, quas, adveniente Xerxe, habuisse Athenienses affirmat Nepos, c. III. et ipse declararat cap. II, « Athenienses cum consuluissent Pythiam, ad superiores centum naves totidem addidisse."

De numero classis communis Graeciae, quem trecentarum fuisse navium tradit cap. III. credidit scriptori, qui proeliis cum Persis interfuit, ac fortitudine bellica inclaruit, Aeschylo, Pers. v. 337—339:

(7) Herodot. VII. c. 145.
(8) Herodot. ibid. c. 144.

« καὶ γὰρ Ἕλλησιν μὲν ἦν
Ὁ πᾶς ἀριθμὸς ἐς τριακάδας δέκα
Ναῶν. »

In hac autem classe ducentas naves fuisse Atheniensium, ut vult Nepos, iam monuit Schweighaeuser V. Cl. ad Herodot. VIII. 1.

Si esset unde fieret vera Persicarum copiarum computatio, eam faceremus. Nepos certe, si nonnullos scriptores cum eo conferamus, satis iustum accepisse numerum videtur. Dicit, cap. II, terrestres Xerxis exercitus septingentorum millium peditum, equitum quadringentorum millium fuisse. Ctesias, Pers. 23. computat 800,000; Isocrat. Panath. p. 480. (ed. H. Wolf. 1651.) bellicosorum 700,000; Aelian. V. H. XIII, 3. *totidem* millia; Justin. II, 10. de regno 700,000 et 300,000 de auxiliis.

In numero navium classis Persicae, minus adhuc discrepant scriptores. Fuisse eam mille ducentarum et septem navium (onerariis exceptis) refert Herodot. VII. 89, 184. forte ex Aeschylo, Pers. v. 340, sq.:

« Ξέρξῃ δὲ, καὶ γὰρ οἶδα, χιλιὰς μὲν ἦν (ναῶν)
Ὧν ἦγε πλῆθος, αἱ δ' ὑπέρκομποι τάχει,
Ἑκατὸν δὶς ἦσαν, ἑπτὰ θ'· ὧδ' ἔχει λόγος. »

Quibus septem omissis numerum rotundant Isocrat. in Panegyr. p. 116. et in Panath. p. 480; Diodor. Sic. XI, 3. (ubi Wessel.); Nepos l. l.; Justin. II, 10.

Caetera, quae narrat Nepos in Themistoclis vita, inde a cap. II. fin., ad cap. VI., petita haec sunt ex Herodot. L. VII et VIII. In hoc uno reprehendendus est, quod cap. V. tradat Xerxem *sex mensibus* ex Asia in Europam iter fecisse, et in Agesil. c. IV. integrum annum huic itineri impendisse, affirmet cum Xenoph. in Agesil. (Oper. pag. 382. v. 31, 32. edit. Steph. 1561.).

Eam partem Themistoclis vitae quam silentio praeteriit Herodotus, enarrandam suscepit Thucydides, ex quo Nepos reliqua sua sumsit. In capp. VI et VII. secutus est Thucyd. L. I. c. 93, (ubi de triplici Piraeei portu) 90, 91. In capp. VIII, IX et X. eiusdem Thucydidis tradita lib. I. c. 135—138. fere ad verbum reddidit; unde facile colligitur nostrum Cornelium, cap. VIII. haud ab illo diversum secutum esse auctorem, neque scripsisse Themistoclem, quum rex Admetus abesset, quo maiore religione se receptum tueretur, *filiam* eius *parvulam* arripuisse, sed *filium* eius *parvulum*, ut docet Thucydides. Voces enim *parvulum filium*, ex soni et scripturae similitudine, facile ab imperitis librariis in *parvulam filiam* verti ac depravari potuerunt.

Praeterea errant, mea quidem sententia, qui perhibent, Nostrum contra Thucydidem (quocum convenit Plutarch.) scripsisse Themistocli cum Admeto fuisse hospitium. Verba Thucydidis sunt: « ἀναγκάζεται κατά τι ἄπορον (ὁ Θεμιστοκλῆς) παρὰ Ἄδμητον τὸν Μολοσσῶν βασιλέα, ὄντα αὐτῷ οὐ φίλον, καταλῦσαι.” Non aliter Nepos:

„ ad Admetum Molossorum regem, *cum quo ei hospitium fuerat*, confugit." Ei igitur cum Admeto hospitium non erat in praesentia, sed fuerat olim, et quidem antequam Admetus, cum aliquid ab Atheniensibus peteret, ab his, suadente Themistocle, acerbam tulisset repulsam, ut tradunt Thucydides et Plutarchus.

Haec, ad h. l. Nepotis, animadverteram nondum consultato Magio, quem a te collatum velim.

Jam vidisti-ne, B. L., Nepotem in Themistoclis vita enarranda optimis praesidiis instructum fuisse, eamque (si errorem de bello Corcyraeo excipias) diligentissime composuisse? Plures in Themistocle ante oculos habuit auctores, at non sine caussa plurimum credidit Herodoto et Thucydidi. « Scio," dicit ipse cap. IX. « plerosque « ita scripsisse, Themistoclem Xerxe regnante in « Asiam transiisse (9). Sed ego potissimum Thu- « cydidi credo, qui aetate proximus de iis, qui « illorum temporum historiam reliquerunt, et eius- « dem civitatis fuit. Is autem ait, ad Artaxerxem « eum venisse," caet. — Diligenter hanc rem tractavit Henr. Dodwellus, Annal. Thucyd. (ed. Duk.) p. 41 sq., qui egregie ostendit, Themistoclem Olymp. LXXVIII $\frac{3}{4}$, sub fin. an. ant. Ch.

(9) Inter quos Ephorus, Dinon, Clitarchus, Heraclides, quibus fidem habuit DIOD. SIC. XI, 56. Contra, apud Artaxerxem, Xerxis filium νεωστὶ βασιλεύοντα, fugisse Themistoclem, tradidere Charon Lampsacenus, Thucydides, Timaeus, Eratosthenes, Apollodorus, Nepos, Plutarchus.

Caetera, quae narrat Nepos ... ongimano, inde a cap. II. fin., ad cap. ... me ali- ex Herodot. L. VII et VIII ... l Xer- hendendus est, quod ca... mensibus ex Asia in E... X Agesil. c. IV. integru... pendisse, affirmet cu... pag. 382. v. 31, 32, ...). a

Eam partem T... am inve- praeteriit Herod... cydides, ex q... capp. VI et ... (ubi de tri... VIII, IX ... c. 135 — cile co... haud neq... tus tr...

Dissert. hist. de GUL. TELLIO, ...s Themistoclis inter veteres dissens. ..., 14.

breviter (et non ni-
tot legisse scrip-
tur, minime me
tem, quos no-
xisse suspicor
Lampsace-
aut Panae-
operibus
aliisque
iam
auctores, quos in hac compo-
de
est Nepos, non nominavit. — Sed
mistoclem et Aristidem simultates locum e-
se, hunc omnium hominum nomine *Iusti* fu-
dignissimum, et tamen a populo in exsilium eiec-
tum; pugnae navali apud Salamina interfuisse,
eoque duce Athenienses ad Plataeas dimicasse,
apud Herodot. VIII, 79. IX, 28, 63, forte legit Ne-
pos, quem, dum scribit « neque aliud esse ullum
« Aristidis in re militari illustre factum, quam hu-
« ius imperii memoriam," miror proelii apud Sa-
lamina fecisse mentionem, et pugnae apud Ma-
rathona, ubi Aristides secundum imperii locum
tenuerat, et virtute ac consilio inclaruerat, non
meminisse. Quod vero tradit de Aristidis aequi-
tate Pausaniaeque intemperantia, quibus factum,
ut summa imperii maritimi a Lacedaemoniis, qui
ante id tempus duces fuerant Graeciae, ad Athe-
nienses transferretur; porro, de pecuniâ, Aristi-
dis arbitrio, quotannis Delum collatâ, sumsit ex
Thucyd. I, 18, 95, 96, 130.

Caetera, quae narrat Nepos i ... ngimano, inde a cap. II. fin., ad cap. ... me ali- ex Herodot. L. VII et VIII ... Xer hendendus est, quod cap ... *mensibus* ex Asia in E ... Agesil. c. IV. integrum ... pendisse, affirmet cum ... pag. 382. v. 31, 32. ...). Ea

Eam partem Th ... cum inve- praeteriit Herodo ... cydides, ex qu ... capp. VI et V ... (ubi de trip ... VIII, IX et ... c. 135 — ... cile coll ... haud ... nequ ... tus ... tu ... f

Dissert. hist. de ...

... Themistoclis inter veteres dissens.

..., 11.

breviter (et non ni-
tot legisse scrip-
tur, minime me
vem, quos no-
xisse suspicor
Lampsace-
aut Panae-
operibus
liisque
iam
..ctores, quos in hac compono.. de
est Nepos, non nominavit. .. Sed, ..
mistoclem et Aristidem simultates locum obt..
se, hunc omnium hominum nomine *Iusti* fuiss..
dignissimum, et tamen a populo in exsilium eiec-
tum; pugnae navali apud Salamina interfuisse,
eoque duce Athenienses ad Plataeas dimicasse,
apud Herodot. VIII, 79. IX, 28, 63, forte legit Ne-
pos, quem, dum scribit « neque aliud esse ullum
« Aristidis in re militari illustre factum, quam hu-
« ius imperii memoriam, " miror proelii apud Sa-
lamina fecisse mentionem, et pugnae apud Ma-
rathona, ubi Aristides secundum imperii locum
tenuerat, et virtute ac consilio inclaruerat, non
meminisse. Quod vero tradit de Aristidis aequi-
tate Pausaniaeque intemperantia, quibus factum,
ut summa imperii maritimi a Lacedaemoniis, qui
ante id tempus duces fuerant Graeciae, ad Athe-
nienses transferretur; porro, de pecuniâ, Aristi-
dis arbitrio, quotannis Delum collatâ, sumsit ex
Thucyd. I, 18, 95, 96, 130.

N. 465, regnante nempe) Artaxerxe I, Longimano, ad aulam Persicam venisse. Quare piget me aliquando scripsisse, eum se recepisse ad Xerxem (10).

Postremo, fatetur etiam Cornelius, c. X, de morte Themistoclis multis modis apud plerosque scriptum esse, sed eundem potissimum Thucydidem auctorem probare. Nec immerito (11). Fabulas enim apud Nepotem difficile locum invenisse, saepius apparebit infra.

---

(10) In lib. qui inscribitur *Dissert. hist.* de GUL. TELLIO, etc. *Thes.* III.

(11) De genere mortis Themistoclis inter veteres dissens. conf. Cic. *Brut.* c. 10, 11.

III. ARISTIDES.

Auctores, quos in hac componenda vita secutus est Nepos, non nominavit. — Sed, inter Themistoclem et Aristidem simultates locum obtinuisse, hunc omnium hominum nomine *Iusti* fuisse dignissimum, et tamen a populo in exilium eiectum; pugnae navali apud Salamina interfuisse, eoque duce Athenienses ad Plataeas dimicasse, apud Herodot. VIII, 79. IX, 28, 63, forte legit Nepos, quem, dum scribit « neque aliud esse ullum « Aristidis in re militari illustre factum, quam huius « ius imperii memoriam," miror proelii apud Salamina fecisse mentionem, et pugnae apud Marathona, ubi Aristides secundum imperii locum tenuerat, et virtute ac consilio inclaruerat, non meminisse. Quod vero tradit de Aristidis aequitate Pausaniaeque intemperantia, quibus factum, ut summa imperii maritimi a Lacedaemoniis, qui ante id tempus duces fuerant Graeciae, ad Athenienses transferretur; porro, de pecuniâ, Aristidis arbitrio, quotannis Delum collatâ, sumsit ex Thucyd. I, 18, 95, 96, 130.

Sed ut inveniamus unde caetera de Aristide tradita petierit Nepos, comparanda sunt ea cum vita illius viri a Plutarcho conscripta, uti, cognitis huius fontibus, Nepotis quoque fontes indicari queant.

Omnia quae apud Nepotem de Aristide inveniuntur, leguntur quoque apud Plutarchum, ita tamen ut de duabus rebus nonnihil ab eo differat Noster. Primum tradit in fin. c. 1, Aristidem *sexto* fere anno, quam erat expulsus, populiscito in patriam restitutum fuisse, cum ex Plutarcho aliisque constet, revocatum eum fuisse anno *tertio* quam fuerat eiectus in exsilium. Assentior interpretibus, qui putant Cornelium hic esse lapsum, aut librarium *VI fere* posuisse pro *IV fere*. — Deinde, bis refert Plutarch. (in Apophth. et in Vit. Arist.), consentitque Suidas, quemdam literarum expertem ac plane rudem, τινὰ τῶν ἀγραμμάτων καὶ παντελῶς ἀγροίκων, testulam porrexisse Aristidi, ab eoque petiisse, ut *Aristidem* inscriberet, etc. Nepos vero, Aristidem animadvertisse quendam scribentem ut patria expelleretur. — Caeterum hac in re ita conspirant ambo biographi, ut vix mihi persuadeam Romanum, etsi eam quidem minus accurate, minus expresse ac clare exposuit, ducem a Graeci duce diversum habuisse. Quin etiam uterque hanc narratiunculam ab ipsis, eiusdem auctoris, ex quo ea defluxit, verbis, λέγεται — τινὰ, *dicitur* — *quendam*, incipit.

At si dicat quis, non probabile esse, Nepotem

ad hanc Aristidis vitam tam breviter (et non nimis diligenter) componendam, tot legisse scriptores, quot a Plutarcho citantur, minime me obloquentem habebit. Ex iis autem, quos nominat Plutarchus, Nepotem inspexisse suspicor Aeschinem Socraticum, Idomeneum Lampsacenum, et forte Demetrium Phalereum, aut Panaetium Stoicum, de quibus, ut de eorum operibus περὶ Σωκρατικῶν, in quibus de Aristide aliisque egregiis viris egerant, nolo recoquere quae iam dixit Heerenius, quem adi in insigni opere de font. et auct. Plut. p. 43, 44.

IV. PAUSANIAS.

De Nepotis in huius imperatoris vita auctoritate nemo dubitabit. Quae ad victoriam a Pausania apud Plataeas reportatam, strenuique Mardonii internecionem, pertinent, petita videntur ex Herodot. L. IX; nisi numerum excipias copiarum, quas ibi ducebat Mardonius. Trecenta huic pugnatorum millia reliquisse Xerxem, tradit Herodot. VIII, 113. a quo parum quidem discrepat Nepos.

Postea vero, ea, quae inde ab interitu Mardonii ad tristem Pausaniae finem usque narrantur, ad verbum fere ex Graecis Thucyd. L. I, in primis ex capp. 131 — 134. in latinum sermonem concinne Nepos transtulit. In hoc tamen, quum, cap. IV, ait, « Argilium Taenari adventum, in aram Neptuni consedisse, et hanc iuxta locum factum esse sub terra," etc. creditur a Wesselingio (ad Diod. Sic. XI. 45. v. 57.) alium secutus auctorem quam Thucydidem, qui lib. I. c. 133. habet — *σκημνησαμένου διπλῆν διαφράγματι καλυβήν.* At, si mea valet opinio, legit haec Nepos, atque ita ea expressit, uti ab eo intellige-

bantur, et in καλύβῃ [illegible] non tu-gurium, sed spatium, locum subterraneum, unde ephori, in eo absconditi, Pausaniam cum Argilio in ara sedente loquentem audire poterant. Plura de hac re dicere supersedeo, namque per se ipse parvi est momenti. Adi, si vacat, Lambinum et Magium ad h. l. Nepotis.

Denique, matrem Pausaniae, postquam de scelere filii comperit, in primis ad filium in templo Minervae claudendum, lapidem ad introitum aedis attulisse, testantur etiam Diod. Sic. XI. 45. et Polyaen. Stratag. L. VIII. Diodorus et Nepos iisdem verbis: λέγεται τὴν μητέρα τοῦ Παυσανίου; et: « dicitur matrem Pausaniae," satis ostendunt, hanc rem ex eodem auctore se sumsisse, eamque a pluribus fuisse traditam: inter quos pertinuit forte Timaeus (de quo plura infra), qui Pausaniae ultima fata narraverat, ut colligi potest ex Aeliani V. H. IV. 7; nam ibi pro Ἐπιτιμήδης, legendum esse Ἐπιτίμαιος, i. e. taxator, maledicus Timaeus, cum Kühnio puto.

Chrysermus vero, in secundo lib. Historiarum, apud Plutarchum in Paral. et in Stob. Serm. XXXVIII. p. 228. (vid. Wessel. ad Diodor. XI, 45.) adserit patrem Pausaniae foribus templi obiecto lapide obstructis, Spartanis exemplum praebuisse, ut se sequerentur, atque matrem (cui nomen Theano est apud Polyaen.) eius cadaver insepultum eiecisse. — Ut ut est, ferocem huius Spartanae mulieris virtutem, a scriptoribus non esse fictam, facile credimus. — Atque, cum non

placeret mortui Pausaniae corpus eodem loco inferre, quo hi, qui ad supplicium essent dati; *non procul* ab eo loco infoderunt, in quo erat mortuus; nam ita legendum esse pro *et procul*, quod habent Cornelii editiones, docent verba Thucydidis, ἔπειτα ἔδοξε πλησίον που κατορύξαι; quem secutus est Nepos.

V. CIMON.

Pervenimus ad fortissimum illum virum, qui tam duro initio usus est adolescentiae. Quum Miltiades vitam in carcere finiisset, nondum soluta pecunia qua multctatus erat; ei census, ut ait Seneca, inventus est Cimon filius; nec hic quidem quicquam habebat, quod daret pro patre praeter se ipsum posset. Necessitate coactus, Elpinicen sororem, quam magno diligebat amore, diviti collocavit Calliae, qui postulatam summam ei suppeditavit; atque ita Cimon quinquaginta talenta, quibus lis patris aestimata erat, solvit; ut tradit Nepos ex Herodoto, L. VI. c. 136.

Cimonem sororem germanam Elpinicen prius uxorem duxisse, affirmant tot veteres scriptores, ut id matrimonium in dubium vocari nequeat; num tamen fuerit secundum leges, ut vult Nepos, assentiunturque nonnulli, an vero contra leges, ut existimant alii, haec quaestio iam a tot viris doctis exagitata est, ut optabilius mihi videretur eam missam facere, nisi non nulla haberem monenda.

I. Cimonis vita a Nepote (pro consilio saltem suo) adeo diligenter et candide composita est, ut facile pateat eum duces suos attente legisse, resque quas seligeret et enarraret caute perpendisse; unde concludo, eum, quum et in praefatione operis et in vita Cimonis affirmet, Cimonem uxorem suam *ὁμοπάτριον*, more patrio, atque concedentibus Atheniensium legibus, uxorem duxisse, nequaquam esse lapsum. Magni sunt momenti observationes Magii ad h. l. praef. Nep., quas legisse minime te pigebit, eas enim, ne longior sim, transcribere nolo; sed maioris adhuc momenti verba celeberrimi DE MONTESQUIEU, *Esprit des Lois*, L. V. c. V. quae hic afferre necesse est: « C'était une bonne loi pour la dé« mocratie, que celle qui défendait d'avoir deux « hérédités (1). Elle prenait son origine du par« tage égal des terres et des portions données à « chaque citoyen. La loi n'avait pas voulu qu'un « seul homme eût plusieurs portions." — « Il y « avait à Athènes une loi dont je ne sache pas « que personne ait connu l'esprit. Il était per« mis d'épouser sa soeur consanguine, et non pas « sa soeur utérine (2). Cet usage tirait son ori-

---

(1) « *Philolaus* de Corinthe établit à Athènes que le « nombre des portions de terre et celui des hérédités se« rait toujours le même." ARISTOT. *Polit.* L. II. c. 12.

(2) CORNELIUS NEPOS *in praef.* « Cet usage était des pre« miers tems. Aussi Abraham dit-il de Sara: *elle est ma* « *soeur, fille de mon père, et non pas de ma mère.*" Les

« gine des Républiques, dont l'esprit était de ne
« pas mettre sur la même tête deux portions de
« fonds de terre, et parconséquent deux hérédi-
« tés. Quand un homme épousait sa soeur du
« côté du père, il ne pouvait avoir qu'une hé-
« rédité, qui était celle du père; mais quand il
« épousait sa soeur utérine, il pouvait arriver
« que le père de cette soeur, n'ayant pas d'en-
« fans mâles, lui laissât sa succession, et que
« par conséquent son frère, qui l'avait épousée,
« en eût deux."

II. Quae cum ita sint, errant longe, qui putant Cimonem harum nuptiarum caussâ in exsilium eiectum esse. Quid enim tale ob crimen, si fuerit, Athenienses eum non statim, sed multis iam lapsis annis demum damnarunt? Verum enimvero ob praeclaras res gestas, ut recte dicit Nepos, in eandem incidit invidiam, quam pater Miltiades caeterique Atheniensium principes. Invidi et improbi homines semper fingunt caussas, quibus egregios viros et innocentes opprimant. Nam quum intelligerent novis rebus studentes qualis evasurus esset Cimon, populum instigarunt ut eum expellerent, speciosam caussam interserentes eandem Cimonem, qui ineunte adolescentia vitiis obrutus fuisset, et nondum contracto matrimonio cum sorore Elpinice rem habuisset, eamque post ductam Calliae collocasset, nunc ty-

---

« mêmes raisons avaient fait établir une loi chez différents
« peuples."

rannidem affectare (3). Cimonem autem invidia civium fuisse eiectum, firmiter declarat Plato in Gorgia (Tom. I. p. 516. D.): « οὐκ, inquit, ἐξ-« ωστράκισαν αὐτὸν (Κίμωνα) οὗτοι οὓς ἐθεράπευεν, « ἵνα αὐτοῦ δέκα ἐτῶν μὴ ἀκούσειαν τῆς φωνῆς; »

Eos qui censent Nepotem, dum scribit Cap. II. Cimonem *satis habuisse eloquentiae*, dissentire a Plutarcho, optime refellit Heusingerus, cuius verba ad h. l. mihi sumam: « *satis eloquentiae*, « i. e. *mediocrem*, non artis praeceptis confirma-« tam, sed communi usu politam. Eos enim auc-« tores secutus est Nepos, qui Cimonem liberalis « disciplinae expertem fuisse tradiderunt. Vid. « Plut. Cim. p. 480. (Vol. III. p. 110. edit. Bryan.) « Hanc vero significationem adverbii *satis* esse, « docuit Gronov. ad Cicer. II. Off. extr. Paraeus « Lexic. Crit. p. 1116."

Et illi qui, ut hunc Nepotis locum expedirent, Cimonisque disciplinae documentum praeberent, observarunt Cimonem reliquisse librum ἱπποσκοπικὸν, *de curandis equis*, et putarunt hunc Cimonem eundem esse atque eum, cuius vitam scripsit Nepos; turpiter se dederunt et victorem in ludis Olympicis cum victore ad Eurymedonta, i. e. avum cum nepote confuderunt. A Plutarcho docemur Stesimbrotum Thasium tradidisse Cimonem nostrum neque musicam, neque ullas artes liberales didicisse. De quo scriptore mox loquemur.

(3) Cf. Plut. *in Cim.*; Meursius, l. modo cit.

'Res gestas Cimonis, quas recensuit Nepos, legit hic apud Thucyd. I. 98 sq. Vocem *Mycalen*, c. II. in *Eurymedonta* mutandam esse, observarunt iamdudum interpretes. Eo minus probabile fit, Nepotem credidisse, Cimonem duplicem illam victoriam apud *Mycalen*, in Ionia, reportasse, quod apud Thucyd. I. 100, unde maximam partem eiusdem capitis expressit, clare legebat eam pugnam commissam esse in Pamphylia, ad flumen *Eurymedonta*. Id apud *Mycalen* ex glossa accessisse, haud dubium, neque imputandum festinationi, aut incuriae Cornelii, qui, me hercule, non semper properantius quam prudentius scripsit!'

Quod cap. III. tradit, Cimonem, quum tot rebus praeclare gestis unus in civitate maxime floreret, in invidiam civium incidisse, decemque annorum exsilio multatum esse, satis constat. Non item de numero annorum quos exsulavit. Octo annos posuit Boettigerus V. Cl. in lib. vernac. *Andeutungen zur Archaeologie* p. 65; novem vero exputat Larcherus in *Chronolog. Herodot.* p. 652, 656; teste Creuzero V. Cl. (4). Secundum Nepotem vero quinque tantummodo annos exsulavit Cimon, eosque nondum exactos. Exstat de hoc exsilio Cimonis, ut et de pace quam inter duas potentissimas civitates conciliasse dicitur, insigne Theopompi fragmentum, quod *Marxius* (ex quo sequentia adscribum) ap. Ephor. fragm. p. 224. acceptum refert *Creuzeri* liberalitati, qui

(4) In Praef. ad Marxii *Ephorea*, pag. xxix.

e Schol. Mscr. Aristidis id sibi exscripsit: « Di-
« xerat Aristides (Orat. in Cimonem T. II. p. 284):
« Ὁ Κίμων ἐξωστρακίσθη μὲν, φυγῇ δὲ οὐ προσεζη-
« μιώθη, ἀλλὰ καὶ κατῆλθε πρὸ τοῦ χρόνου. Ad haec
« verba sic eruditissimus Scholiasta: Θεόπομπος ἐν
« τῇ ι' τῶν Φιλιππικῶν περὶ Κίμωνος· « οὐδέπω δὲ
« « πέντε ἐτῶν παρεληλυθότων, πολέμου σύμβαντος
« « πρὸς Λακεδαιμονίους, ὁ δῆμος μετεπέμψατο τὸν
« « Κίμωνα, νομίζων διὰ τὴν προξενίαν ταχίστην ἂν
« « αὐτὸν εἰρήνην ποιήσασθαι. Ὁ δὲ παραγενόμενος τῇ
« « πόλει τὸν πόλεμον κατέλυσε." Factum hoc est
« Olymp. LXXX. 4. (cf. *Dodwell.* Annal. Thuc.
« p. 638. — post Thucyd., edit. Duk. p. 47. sq.)
« cum Athenienses essent νενικημένοι ἐν Τανάγρᾳ
« μάχῃ μεγάλῃ καὶ προςδοκῶντες εἰς ὥραν ἔτους στρα-
« τιὰν Πελοποννησίων ἐπ' αὐτούς, — — τὸ ψήφισμα
« γράψαντος Περικλέους, sicuti Plutarchus narrat,
« vit. Cim. cap. XVII. (Vol. III. p. 130.), Theo-
« pompum, ut videtur, secutus. Cuius vestigiis
« et Nepos insistit, Cim. vit. cap. II." (5).

Quae mox apud Nostrum sequuntur de Cimonis cum 200 navibus adversus Cyprum expeditione, petita haec sunt ex Thucydide, I, 112; a quo tamen in hoc discrepare videtur, quod ille in obsidione Citii oppidi, non vero *in oppido Citio*, ut legitur apud Nepotem, Cimonem mortuum scribit. Sed valde suspicor, Nostrum *in oppugnando Citio* scripsisse, eamque vocem

(5) Cf. Creuzer, l. c. p. xxviii.

per abbreviationem mutatam in *oppido* transiisse. — Caeterum mirari subit, Nepotem, qui fere nullam occasionem laudandi Cimonis dimisit, pacis, quae eius de nomine vulgo appellatur, mentionem fecisse nullam. Quo silentio conicceres foedus illud illustrissimum cum Persis vivo Cimone nondum percussum fuisse. Sed hanc rem diligentissime nuper tractavit *Dahlmann* V. Cl. in Dissert. *Ueber den Cimonischen Frieden* inscripta, insertaque egregio suo operi: *Forschungen auf dem Gebiete der Geschichte, I. Band. Altona*, 1822.

Caetera de Cimonis indole, moribus ac liberalitate a Nepote memorata, petita videntur ex Theopompo. Caput IV saltem integrum transtulit ex Lib. X Philippicorum eiusdem Theopompi, cuius verba invenies apud Athenaeum L. XII. p. 533. A—C.

Scriptores igitur, quos certe novimus Nepotem in Cimonis vita componenda legisse, sunt *Herodotus*, *Thucydides*, *Stesimbrotus*, *Theopompus*. De posterioribus tantum dicam.

Stesimbrotus, patriâ Thasius, Cimonis fere aequalis, ut discimus a Plutarcho in Cim., et ab Athenaeo, qui testatur eum Periclis non solum fuisse coaevum, sed etiam eum vidisse (6), scripsit librum περὶ Θεμιστοκλέους, καὶ Θουκυδίδου καὶ Περικλέους (7), igitur de magnis sui aevi impe-

---

(6) Athen. L. XIII. p. 589.
(7) Id. ibid.

ratoribus. Attamen horum virorum laudis obtrectatorem fuisse, et calumniatorem, patet cum ex Athenaeo, l. l., tum maxime ex pluribus locis Plutarchi (8): unde facile colligitur, Nepotem haud secus ac Plutarchum parum ei tribuisse.

Theopompus, Chius, clarissimus inter omnes Isocratis discipulos, varia scripsit opera, quorum saepe mentionem iniicit Athenaeus, sed inprimis memorabilem historiam, qua, ut ait Dionys. Halic., dignus erat qui laudibus in coelum ferretur. Historiarum suarum materia duplex erat; una quidem partem belli Peloponnesiaci, altera vero res gestas Philippi comprehendebat. Multorum ipse spectator fuit Theopompus, et, ut ad accuratam, cum antiquiorum, tum earum rerum quibus non interfuerat, cognitionem accederet, variorum tunc spectatissimorum virorum, et imperatorum, et oratorum, philosophorumque familiaritate, ope et consilio usus est, neque magnos sumptus in cunctis indagandis neglexit.

Ἑλληνικὰ sua, XII libris contenta, complectebantur res Graecorum gestas per spatium XVII annorum, inde a pugna navali ad Cynossema, Olymp. XCII. 2. commissa, quacum desinit Thucydides, usque ad proelium navale apud Cnidum gestum, Olymp. XCVI. 3. i. e. ab an. ant. Chr. 410 ad an. 395.

---

(8) Vid. Heeren, *de font. et auct. Plut.* p. 38 sq.

Φιλιππικὰ, seu narrationem rerum gestarum Philippi, LVIII libris comprehensam, exorsus est a pugna apud Methonem, Olymp. CV. 1.

Jam vero merito quaereremus quonam modo Theopompus de Themistocle, de Cimone, aliisque viris qui ante suam aetatem floruerunt, in Philippicis loqui potuerit, nisi sciremus, historias suas ita fuisse compositas et ordinatas, ut, interiectis episodiis, res quoque antiquiores complecterentur (9). Gentium enim constitutiones, civitatum origines ac fata, et quidquid apud alienigenas mirandum esset, in eas referebantur: regum ac ducum vitas et mores in eis exposuit Theopompus, nec pepercit illis, qui vitiis suis digni videbantur qui poenas ei darent, eosque debitis conviciis affecit. Sed eum in accusando vituperandoque fuisse nimis acerbum, ideoque nonnunquam iniquum, queruntur complures veteres. Nepos ipse in Alcib. c. XI. eum vocat *gravissimum historicum*, sed et *maledicentissimum*; unde colligi potest, Nepotem (quod huic maxime laudi ducitur), in enarrandis moribus ac fatis illustrium virorum non nisi caute Theopompo usum esse, et ex eo sumsisse ea, quae intelligeret veritati quam maxime congruere (10).

---

(9) Cf. Heeren, op. l. p. 35.

(10) Quod de Theopompo, scriptisque suis, retulimus, petivimus partim ex Dionys. halic. T. II. p. 131 seq., partim ex Diod. sic. L. XIII, c. 42. XIV. 84. XVI. 3. quorum testimoniis adde alia virorum scriptorum testimonia collecta a Voss. *de Hist. Gr.* p. 30 sqq.

VI. ALCIBIADES.

Sextum locum adsigno Cliniae filio, quippe qui prius rem publicam capessivit et proelia fecit, quam bellis interfuerit summumque apud suos imperium obtinuerit Lysander, cuius res in ea demum incidunt tempora, quae non amplius descripta sunt a Thucydide, qui contra Alcibiadis saepius mentionem facit. Ipse Nepos hunc ordinem secutus esse mihi videtur; nam in vita Lysandri haec aliave attigit tantum, puto, quod ea fusius in Alcibiade narraverat.

Totam Alcibiadis vitam comprehendunt ea tempora, quae a celeberrimis historicis Thucydide, Xenophonte, Theopompo, Ephoro, aliisque egregiis viris, quibus bellum Peloponnesiacum amplissimam suppeditabat scribendi materiam, illustrata sunt. Si tamen narratori licuisset totius illius belli esse Thucydidi, non dubito quin eum in omnibus probatissimum sibi ducem elegisset Cornelius noster. Ex Thucyd. enim lib. VI, VII et VIII. ea, quae ad Alcibiadem attinent, pro consilio operis accurate excerpsit, usque ad medium caput quintum i. e. usque ad id

tempus, quo Alcibiades exsul per Thrasybulum ab exercitu receptus, atque praetor apud Samum factus est. Ubi desinit Thucydides, inde scribendi exordium sumserunt *Theopompus* (de quo iam prolixe dictum) et *Xenophon*, cuius Ἑλληνικὰ, *Historiae Graecae*, in pugna ad Mantineam gesta desinunt, atque ita spatium XLVIII annorum includunt (1).

Xenophontis nomen non occurrit inter auctores quos in hac vita nuncupat Nepos; hunc tamen consuluisse eius Ἑλληνικῶν libb. I et II. clarum est ex iis, quae tradit cum de rebus ab Alcibiade gestis antequam ex exsilio, etsi Theramene suffragante plebiscito restitutus imperioque praefectus, Athenas reverteretur, tum maxime de eius reditu in patriam et oratione. In caeteris quoque ita consuluit Xenophontem, ut ei quidem minus tribuerit quam Theopompo.

Totam narrationem de Alcibiadis cum ducibus classis colloquio, ac de Philoclis agendi ratione, i. e. totum caput VIII, eum sumsisse ex Theopompo, iam pridem suspicatus est celeb. Wesseling. ad Diod. Sic. XIII, 105; quem vide.

Platonem quoque excitat, cuius ex Symposio non nisi unam rem expressit, cap. II.

Reliqua omnia, quae attinent ad indolem et mores, vitamque privatam Alcibiadis, se hausisse ex Thucydide, ex Theopompo, cui laudanti quam

---

(1) Diod. sic. L. XIII. c. 42.

carpenti magis credendum censet Plutarchus (2), et ex Timaeo, fatetur ipse Nepos. Timaeus, de quo plura dicentur in Dione, in opere suo Ἑλληνικὰ καὶ Σικελικὰ, aut simpliciter Σικελικὰ inscripto, de bellis inter Graecos et Siculos egit; itaque multa ad Alcibiadem pertinentia exponere debuit.

EPHORI vero nullam mentionem facit Nepos, et tamen eum hic quoque ante oculos habuit; nam ex eo sumsisse eum mortem Alcibiadis (3), tum praesertim caussas ob quas eum interficiendum curaverit Pharnabazus, docet fragmentum ex Lib. XVII. Ephori Ἑλληνικῶν, apud Diod. Sic. XIV., 11.

Ne res me falsum habet, non neglectus fuit a Nostro DURIS, Samius, a Plutarcho saepius laudatus, ut in Alcibiade, cuius e genere se ortum iactabat (4), in Lysandro, Pericle, Agesilao. Floruit is temporibus Ptolemaei Philadelphi (284–246. a. Ch.), atque condidit, praeter Σαμίων ὥρους, *Samiorum annales* (5), in quibus bella

(2) In *Lysandro*, vers. fin.

(3) Alcibiades annos circiter quadraginta natus diem supremum obiisse dicitur a NEP. c. 10. Numerum rotundum esse potius quam accuratum, ut patet ex voce *circiter*, observavit DODWELL, *Annal. Thuc.* p. 89. b, qui suspicatus est, Nepotem scripsisse *quadraginta sex*, atque posteriorem numerum per librarium excidisse. — Imo et numerus 46 facile in 40 transire potuit.

(4) PLUT. Vol. II. p. 43.

(5) Vid. HEEREN, op. l. p. 41.

Atheniensium cum Samiis descripsit, etiam Ἑλληνικὰ, *historias Graecas*, quarum *vicesimum secundum* librum citat Athenaeus VI. p. 253. Narrationis de rebus Graecorum gestis exordium cepisse Duridem a Jasonis Pherarum tyranni morte, Olymp. CII. 3. testatur Diod. Sic. XV. 60; at eum Theopompi scribendi rationem secutum esse, et antiquiora quoque operi suo inseruisse, patet tum ex crebris Plutarchi locis, tum ex fragm. libri XXII. ἱστοριῶν, apud Athen. XII. p. 535, quo libro Duris plura de Pausania tradiderat (6).

Satyrum Peripateticum, scriptorem incertae aetatis (7), etiam fortasse consuluit Nepos. Scripserat is, praeter opus περὶ χαρακτήρων et vitam Philippi Macedonis, magnum opus, ΒΙΟΙ inscriptum, in quo enarraverat *vitas* insignium virorum, ut Themistoclis, Pausaniae, Socratis, Alcibiadis, etc. Eo magis probabile est Cornelium hoc opus inspexisse, quod plurima de Alcibiade, cap. ult. ab eo tradita, leguntur quoque in fragm. haud exiguo, quod ex *Satyri* Alcibiadis vita nobis servavit Athenaeus Lib. XII. p. 534.

Rhetores vero, qui viros rebus gestis illustres eximiis elogiis extollebant, aut acerbissimis conviciis obterebant, legisse Nepotem, facile credes ex ipsius verbis quibus incipit cap. XI. « *Hunc virum infamatum a plerisque.*" — Fuit inter eos

(6) Cff. de *Duride*, Voss. *de Hist. Gr.* p. 98 sq.; Wesseling *ad Diod. Sic.* XV. 60. Heeren, l. c.

(7) Vid. Voss. *de Hist. Graec.* p. 410 sq.

ANDOCIDES, vir ex optimatibus, simulque cum Alcibiade ἀσεβείας accusatus; quo crimine ita se liberavit, ut, suadente amico quodam, ultro nomen deferret, ut narrat Plutarch. Vol. II. p. 27, qui, haud dubiè, haec debet Thucydidi, lib. VI, 60, qui tamen illius criminis auctoris, ut et eius amici nomen lubenter ac de industria reticuisse videtur. — Quod autem dicit Nepos, cap. III, de *Mercurio uno* ante ianuam Andocidis superstite, ad verbum fere transtulit (ut iam pridem ostendit Lambinus) ex ipsius Andocidis *Orat. de Mysteriis*, p. 203: « Ὁ Ἑρμῆς, ὃν ὁρᾶτε πάντες, ὁ παρὰ πατρῴαν οἰκίαν τὴν ἡμετέραν — οὐ περιεκόπη μόνος τῶν Ἑρμῶν τῶν Ἀθήνησιν.»

Legisse porro Nepotem ANTIPHONTIS τὸν κατ' Ἀλκιβιάδου λοιδορίας (8), *librum criminationis in Alcibiadem* (9), qui periit, vix dubito. Ex ISOCRATIS oratione περὶ τοῦ ζεύγους, *de Bigis*, didicit Alcibiadem uxorem duxisse Hipparetam, filiam Hipponici, huncque fuisse, non quidem *omnium Graecae linguae eloquentiâ disertissimum*, ut habent nonnullae Cornelii editiones, verum πλούτῳ μὲν πρῶτον τῶν Ἑλλήνων (10), *omnium Graecorum*, sive *omnium Graecâ linguâ loquentium divitissimum*; quam lectionem optimo iure Nepoti vindicavit atque in textum recepit Heusingerus. Sae-

(8) ATHEN. XII. p. 525.

(9) Qua de re cf. J. BAKE, in *Biblioth. crit. nova*, Vol. IV. p. 83—86.

(10) ISOCRAT. *de Bigis*, p. 695, ed. H. Wolf. 1651.

pius enim Nepos simili periphrasi utitur, ut in Miltiad. c. III., in Dion. c. I. extr.

His, et superius dictis, indicare licet quanam diligentia auctores suos legerit Nepos, et quonam veritatis studio vitam Alcibiadis composuerit. Nam omitto nonnulla parvi, aut fere nullius momenti, quae iam tot interpretes animadverterunt. Sed perperam stomachati sunt plures, quod ille scripsit, cap. VII. Alcibiade abrogato *unum* in eius locum fuisse substitutum. Certè *unum*, scilicet *Cononem* (11), et novem alios in locum eorum qui cum Alcibiade praeturam gesserant. Res per se ipsa satis est clara.

---

(11) « Conon Alcibiadi suffectus, habens ante oculos cui duci successisset," etc. Justin. V. 6. Diod. sic. XIII. 74. 78. 11, sq.

VII. LYSANDER.

Cognitis fontibus, quos Nepos in Alcibiadis vita adiit, facile indicari possent ii ex quibus sua de Lysandro tradita fluxerunt. Attamen, ut lectores de iis certiores facerem, Nepotis tradita cum Diodori et in primis cum Plutarchi traditis comparavi. Tribus autem his historicis inter se collatis, mox apparet eos non modo in narratione rerum Lysandri gestarum, etc., in universum inter se convenire, sed et plura loca totidem fere verbis ex iisdem auctoribus transscripsisse. Auctores vero, quos in Lysandro consuluit Plutarchus, nobis nominavit. Sunt quidem: *Duris*, *Theopompus*, *Ephorus*. Hunc sibi praecipuum ducem elegisse Nepotem, atque, ni fallor, cap. II, III, IV., sed III certe ei debuisse, ex Plutarcho comperies. Hic tamen, sive favore in Lysandrum, sive, quod probabilius est, oblivione, perfidiam et crudelitatem Lysandri in Thasios tacuit.

Xenophontis Hellenica quoque in Lysandri vita inspexisse Noster videtur; quod tamen ex

paucis, quae de decemviris a Lysandro in unaquaque civitate delectis, ac de morte eius apud Haliartum commemoravit, affirmare non sustineo, quum haec exposuerint etiam Theopompus et Ephorus.

VIII. THRASYBULUS.

De rebus gestis fatisque Thrasybuli, aut mire inter se consenserunt Xenophon, Theopompus et Ephorus, aut Nepos in eius vita enarranda potissimum priorem auctorem probavit, atque ex eius 'Ελληνικῶν Lib. II. IV. sua omnia sumsit (1). Nam etsi apud Nostrum numerus eorum quos Thrasybulus, quum Phylen confugisset, secum habuit, minor est eo quem prodit Xenophon, non inde efficies, eum in huius rei narratione alios secutum esse auctores. In numero haeret ipse Xenophon, dum sibi videtur fuisse hominum circiter septuaginta: *Θρασύβουλος ὁρμηθεὶς ἐκ Θηβῶν ὡς σὺν ἑβδομήκοντα, Φύλην χώριον καταλαμβάνει ἰσχυρὸν* (2). Audi Wessel. ad Diod. Sic. XIV, 32: « Phylam Thrasybulus parva manu occupavit: in qua tamen finienda insignis inter veteres discordia est. *Xenophon* illi socios circiter septuaginta adiungit, et eum secutus *Plu-*

(1) Pittaci dictum, unde sumserit Nepos (cap. IV.) parum refert. Illud non esse fictum, docent interpretes.

(2) Xenoph. *Hist. Gr.* p. 276. vs. 10, seq. edit. Steph.

« *tarch.* de Glor. Athen. p. 345, D.; at *Pausa*-
« *nias* L. I. 29. tantum sexaginta; *Aristoteles*
« Rhet. ad Alexandr. c. 9. p. 186. μετὰ πεντήκοντα
« ἀνδρῶν Phylam occupasse; *Corn. Nepos* Thra-
« syb. c. 2. « non plus habuit secum, quam tri-
« ginta de suis.” Hoccine discrimen inde repe-
« tendum, quod exsulum numerus paullatim ma-
« gis atque magis sit adauctus?”

De ultimo opere ac morte Thrasybuli minus ac-
curate scripsit Nepos. Audiamus Xenophont. Hel-
len. L. IV. sub fin. Relicta Lesbo, quam sube-
gerat Thrasybulus « ἔσπευδεν ἐς τὴν Ῥόδον ἀφικέ-
σθαι, ὅπως ἂν καὶ ἐκεῖ ἐρρωμενέστατον τὸ στράτευμα
ποιήσαιτο, ἐξ ἄλλων τε πολλῶν ἠργυρολόγει, καὶ ἐς
Ἄσπενδον ἀφικόμενος ὡρμίσατο ἐς τὸν Εὐρυμέδοντα πο-
ταμόν. ἤδη δὲ ἔχοντος αὐτοῦ χρήματα παρὰ τῶν Ἀσ-
πενδίων, ἀδικησάντων τι ἐκ τῶν ἀγρῶν τῶν στρατιωτῶν,
ὀργισθέντες οἱ Ἀσπένδιοι, τῆς νυκτὸς ἐπιπεσόντες, κα-
τακόπτουσιν ἐν τῇ σκηνῇ αὐτόν.” i. e. « Lesbo re-
licta Thrasybulus properabat Rhodum pervenire,
et ut ibi quam validissimum contraheret exerci-
tum, ex aliis multis urbibus pecuniam cogebat;
et Aspendum contendens classem ad Eurymedonta
appulit. Cum autem, coacta iam ab Aspendiis
pecunia, milites ex eorum agris praedarentur,
irati Aspendii, noctu irruptione facta, illum in
tabernaculo obtruncarunt.” — Haud aliter Diod.
Sic. XIV, 99. extr. qui aeque ac Nepos sua Xe-
nophonti debet. Sed Nepos, sive properans, sive
memoria peccans, Ciliciam cum Pamphylia con-
fudit.

IX. CONON.

— — « Brevis esse laboro,
« Obscurus fio. »

Hanc Horatii sententiam omnino firmasse mihi videtur Nepos in Cononis vita. Plura enim in ea attigit, quae aut plane obscura, aut saltem parum explanata sunt. Ob nimiam auctoris brevitatem separatim ea tractabimus.

Cap. I. dicit Cononi rerum gestarum caussa praecipuum honorem habitum fuisse; namque *eum omnibus unum insulis praefuisse.* Quid haec ultima sibi velint, haud patet. Intelligendum esse putat Lambinus id tempus, quo victis ad Cnidum Lacedaemoniis, adiutore Pharnabazo Conon classi regis Persarum praefectus, omnes insulas a Lacedaemoniis avertit, et Graecos superbo Lacedaemoniorum dominatu liberavit (1). Nihil aliud intellexisse Nepos videtur.

(1) Vid. XENOPH. *Hist. Gr.* L. IV. inde a pag. 312. DIOD. SIC. XIV, 84. ISOCRAT. *ad Philip.* p. 186, B. in *Evag.* p. 395, B.

Cap. eod. Fuisse Cononem bello Peloponnesio praetorem, quum apud Aegos flumen exercitus Atheniensium a Lysandro est devictus, eoque rem peius fuisse administratam quod eopse die summum imperium non apud eum erat, satis constat, sed *eum tum*, i. e. illo die, *abfuisse*, a nemine, nisi a Nostro, favore in Cononem, ut videtur, traditum est; quamobrem levissimam in hac re eius auctoritatem esse iudico. Non enim me commovet quod mox ipse adiicit, quasi ex pluribus auctoribus id sumsisset: « nemini erat « his temporibus dubium, si adfuisset, illam Athe- « nienses calamitatem accepturos non fuisse. " Nam Cononem, conspecto ex terra classis Lacedaemoniorum incursu, Atheniensium hos excitasse, illos obsecrasse, alios coegisse naves quas reliquerant complere, sed cum omni ope ad succurrendum adhibita, dispalatis militibus, tamen nihil proficeret, se cum aliquot navibus subduxisse, atque ad Evagoram Cypri regem aufugisse, testantur Xenophon, Isocrates, Diodorus, Justinus (2), praestantissimi igitur Scriptores. Nunc quidem, si censeas Xenophonti potissimum esse credendum, quod illis ipsis temporibus vixit, et eiusdem civitatis ac Conon fuit; praesertim autem, quod gravis Plutarchus eum secutus

---

(2) Xenoph. *Hist. Gr.* L. II. p. 268. Isocrat: *ad Philip.* et in *Evagora.* Diod. Sic. XIII. 106. Plut. in *Lysand.* Vol. III. p. 16. Justin. V, 6.

est, omnino tibi adsentior. Quid? si adiiciam, Diodorum Siculum ex alio fonte, haud dubium ex Theopompo, similia tradere, clarum est Nepotem hic sua esse commentum, aut certe in errorem incidisse.

Ne tamen Cononis gloriae aliquid detrimentum adferatur, haec sunt animadvertenda. Summum imperium *tum*, sive *per illum diem*, fuit apud Philoclem (3). Is autem, etsi quod Alcibiades, patriae studiosus, ad victoriam Atheniensibus parandam suaserat, vere dictum animadvertebat, tamen quod sentiebat, si res prospere succederet, totum victoriae decus Alcibiadi milites vindicaturos, contra ea, si infeliciter gereretur, se unum eius delicti futurum reum, postulata facere recusavit; quin etiam Menander et Tydeus, Philoclis collegae, Alcibiadem aspere dimiserunt, et posterior ei contumeliose respondit, non illum sed alios classi praeesse (4).

Apud scriptores, qui haec tradiderunt, de Conone in hac re maximum silentium; unde coniiceres, Cononem eo ipso tempore commeatum paratum abfuisse (quod Nepotem in errorem inducere potuit), aut eum saltem, si adfuit, Alcibiadis monita non sprevisse. Et quis est, qui

---

(3) Nepos in *Alcib.* c. VIII. Diod. Sic. XIII, 106; uterque ex Theopompo, ut opinor. Idem significare videntur verba Plutarchi in *Lysand.* Vol. III. p. 14.

(4) Xenoph. l. c. Diod. Sic. l. c. Plut. l. c.

putet Cononem, quem virum! rei militaris et peritissimum et prudentissimum, patriaeque amantissimum, Alcibiadis consilium rei publicae saluberrimum despecturum fuisse? Ut ut est, sive adfuit Alcibiadis colloquio, sive non, magis invaluit sententia Philoclis caeterorumque praetorum. Eum sub vesperum adfuisse, atque omnes vires contulisse ad classem servandam, supra ostendimus. Itaque non est inficiandum eius turpissimae cladis reos esse unos Cononis collegas, neque Athenienses hujus culpâ tantam accepisse calamitatem. Et in hac re salva maneat auctoritas Isocratis (5) Nepotisque (6).

Tradit deinde Nepos, cap. II. « Lacedaemonios, quum Atheniensibus devictis in societate non manerent, *quam cum Artaxerxe fecerant*, Agesilaum bellatum misisse in Asiam; maxime impulsos a Tissapherne, qui ex intimis regis ab amicitia eius defecerat, et cum Lacedaemoniis coierat societatem.” — Cuiusnam foederis a Lacedaemoniis cum Artaxerxe initi, hic mentionem faciat Nepos, ignorant omnes. Meminerat forte pacis Antalcidae vocatae; sed hanc pacem novem fere annis (ante Chr. 387) postquam Agesilaus copias in Asiam traiecerat (ante Chr. 396) fuisse factam, neminem latet. Itaque turpiter hic se dedisse

---

(5) Vid. Isocrat. *Or. ad Philip.* p. 185, C. in *Euagora*, p. 393, C.

(6) Vid. Nep. *Con.* c. 1.

Nostrum existimo. Intelligenda Lambino videtur ea societas, quam, auctore Tissapherne, coierant Lacedaemonii (ant. Ch. 411) cum Dario II. Notho, Artaxerxis huius, Mnemonis, et Cyri minoris patre: de qua Thucydides L. VIII. (capp. 18. 37. 58.).

Observavit praeterea Lambinus, et post eum alii, Nepotem, dum scribit Lacedaemonios non mansisse in societate quam cum Persis fecerant, discrepare a Xenophonte et Plutarcho, qui narrant Lacedaemonios Agesilaum bellum in Asiam illatum misisse, quod audierant regem Persarum classem et exercitum adversus Graecos parare. — Recte quidem, nec aliter ipse Nepos in Agesilao, c. II.

Sed ad universam rem, quam ex Conon. c. II. attuli, redeo, quippe quae nondum expedita est. Dixisse Nepotem meminimus:

I. Lacedaemonios foedus, quod (Tissaphernis opera) cum Persarum rege inierant, violasse. II. Agesilaum bellatum misisse in Asiam, *maxime impulsos a Tissapherne.* III. Hunc ex intimis regis ab amicitia eius defecisse, et cum Lacedaemoniis societatem iniisse.

Quae si ita sint, colligitur inde: 1°. Lacedaemonios fuisse hominum scelestissimos, quod, non servata fide, socio sine ulla caussa vim intulerint. 2°. Tissaphernem regis sui, qui eum ob egregia fidei documenta maximis cumulaverat beneficiis, fuisse proditorem. 3°. Agesilai in Asia res gestas,

huic potius dedecori quam decori ducendas esse; quod victorias suas non singulari prudentiae virtutique, sed Tissaphernis proditioni scelerique debuisset.

Sed nemini mortalium haec unquam in mentem venerant, eisque prorsus pugnantia loquitur ipse Nepos in Agesilao, cap. II. Nam ibi affirmat; 1°. *Persas* non mansisse in societate, quam cum Lacedaemoniis contraxerant; eos enim classem pedestresque exercitus comparasse quibus Graecos adorirentur, atque Lacedaemonios hanc ob caussam (Lysandro suffragante) Agesilaum cum copiis adversus eos misisse. 2°. Agesilaum tanta celeritate usum esse, ut prius in Asiam pervenerit, quam regii Satrapae, Tissaphernes scilicet et Pharnabazus, eum scirent profectum. 3°. Hoc factum esse ut omnes imparatos imprudentesque offenderet; Tissaphernem, hoc ut cognovit, inducias a Lacone petiisse, simulantem, se dare operam, ut Lacedaemoniis cum rege conveniret; re autem vera ad copias comparandas: easque impetrasse trimestres; iurasse autem utrumque, se sine dolo inducias conservaturum; in hac pactione summa fide mansisse Agesilaum: contra ea Tissaphernem nihil aliud quam bellum comparasse, et — ut paucis absolvam —, eum leoninae adsuisse vulpinam ad devincendum Laconem; hunc vero prudentia, consilio, virtuteque adversariorum copias pepulisse, resque memoria dignissimas gessisse.

Haec quidem testantur Xenophon, Diodorus Sic.,

Plutarchus (7) et, ut vidimus, ipse Nepos in Agesilao. Illa vero in Conone somniavit Nepos.

Novimus etiam reginam Parysatidem odio Tissaphernem esse prosecutam, quod apud Artaxerxem accusaverat Cyrum, qui matri in deliciis erat, isque in proelio apud Cunaxa ceciderat; porro, Pharnabazum infestum fuisse eidem Tissapherni, quod apud regem plurimum valeret, summumque imperium inter praefectos regios haberet, huncque inimicum esse criminatum, quod dum agendum esset inducias ab hoste petiisset, atque incuria et imprudentia regnum Persicum in discrimen vocasset. Horum igitur odio, et calamitatibus quas bello acceperat incitatum Regem, Tissaphernem hostem iudicasse, et obtruncari iussisse, atque, suadente Pharnabazo, in eius locum Cononem substituisse, neminem latere puto.

In caeteris de Conone traditis a Nepote, hunc omni fide dignum censeo. Inter ea quae ex Xenophonte, lib. IV. Hellen. petiit, pertinent: expugnatio Pherarum Messeniae; Cononis consilium et auctoritas apud Pharnabazum et Artaxerxem; pugna et victoria apud Cnidum; instauratio murorum Atheniensium, quos Lysander di-

(7) Vid. Xenoph. *Hist. Gr.* III. p. 290. et in *Agesilao* incip. (p. 379); Diodorus Sic. XIV, 79; Plutarch. in *Agesil.* Vol. III. p. 372.

meravat, etc. Demosthenes etiam, qui in Orat. contra Leptin. res gestas Cononis praecipuas commemoravit, ab eo forte non neglectus fuit. Theopompum vero, qui historiam suam Rerum Graecarum proelio ad Cnidum absolvit, atque res Cononis haud tenuiter exposuerat, utique consuluisse necesse est Nostrum, qui fortasse ipsi Cononis cum Tithrauste colloquium (cap. III.) debuit; nisi existimes hoc petitum esse e Ctesia (8), aut potius e Dinone, cui de ultimis Cononis fatis, et in universum de rebus Persicis, plurimum se credidisse, fatetur ipse Nepos, in fine huius vitae.

Fuit autem is, a Plutarcho et Athenaeo saepius laudatus, historicus, cuius nomen Graecum nunc Δίνων, nunc Δείνων est, pater Clitarchi Alexandri M. comitis ac historiographi, cuius Curtius Lib. XI, c. 5. et 8. mentionem facit. Vixit igitur circa tempora Artaxerxis Mnemonis, ad cuius mortem usque, inde a Persici regni primordiis (9), historiam suam duxit. Scripsisse eum *Historiam Persicam*, Περσικὴν Πραγματείαν, auctor

(8) Quae volebat Conon Tithrausti eum scripta tradidisse, dixit Nep. c. III. extr. Huius epistolae exemplum scriptum erat ap. Ctesiam *de Reb. Pers.*, ut patet ex Excerpt. LXII; hic quoque commemoraverat ὡς ὑπὸ Φαρναβάζου ναύαρχος Κόνων ἐγένετο. Super his Ctesiam quoque legit Plutarch. in *Artoxerxe*, Vol. V. p. 299.

(9) Conf. Athen. XIV. p. 633, D, E.

est Athenaeus (10). Quos vero fontes ipse DINON in *Persicis* adierit, non liquet; attamen magnae fuisse apud veteres auctoritatis, ex eo maxime efficere possumus, quod, post Nepotem, etiam veritatis studiosissimus Plutarchus in Artaxerxis Mnemonis vita ei multum, et certe non sine caussa, tribuerit (11).

---

(10) Athen. II. p. 67. et variis locis. Cf. Voss, de *Hist. Gr.* p. 460.

(11) Cf. Heeren, *de font. et auct. Plut.* p. 98.

X. AGESILAUS.

Nepos in laudando Agesilao praecipuum, imo fere unicum sibi elegit ducem, quem ipse in principio nominat, Xenophontem. Ex huius enim Hellen. L. III. sumsit nonnulla, quae partim repetita invenit in *Elogio* Agesilai, pauciora ex Lib. IV; sed plurima ei suppeditavit ipsius Λόγος εἰς Ἀγησίλαον, ex quo multa ad verbum in Latinum sermonem transtulit. Nihil fere in Nepotis Agesilao exstat memorabile, quod non apud Xenophontem legas, et ita quidem ut statim perspicias, ex eo desumtum esse (1). Pauca autem ex aliis scriptoribus tradidit Noster, capp. VI et VIII. quibus patet, eum praeter Xenophontem alios quoque auctores de his aliisve consuluisse: v. c. illud Agesilai stratagema, cujus cap. VI. meminit, apud

(1) Nec ille quidem locus, cap. VII, excipiendus est, quo Cornelius scribit Agesilaum domo eadem fuisse contentum, qua usus fuerat progenitor maiorum *Eurysthenes*, cuius loco Xenoph. p. 390. habet *Aristodemum*. Utrumque vere esse dictum copiose ostendit Lambin. ad cap. I. huius Vitae. ubi de duabus familiis Proclis et Eurysthenis sermo est.

Xenophontem (ni fallor) non invenitur. Refert id Plutarch. in Agesil. Vol. III. p. 406. et cum eo non plane congruens Polyaen. L. II. Stratag.; uterque paullo aliter et fusius quam Nepos, ut iam monuit Lambinus. Ex quo vero auctore petitum sit, me plane ignorare fateor.

Porro, Agesilaum ob corporis deformitatem, humilem vestitum, simplicem victum, aliaque huius generis, ab Aegyptiis fuisse male habitum et irrisum, tradit ex eodem fonte Plutarchus, qui de caeteris Agesilai in Aegypto rebus gestis, reditu, morte ac sepultura, belle cum Nepote consentit. Haec, partim saltem, utrique biographo praebuerunt Theopompus et Lyceas Naucratites, ut colligi licet ex Athen. XIV. p. 616. D, E. et fortasse etiam Ephorus. At de reliquis ad Nectanabidem pertinentibus plura dicentur in Chabria. Hoc tantum hic addendum, etsi leve videtur. Legimus apud Nepotem, Agesilaum a novo rege Nectanabide donatum fuisse 220 talentis; Plutarchus scribit 230 tal. De numero igitur mendum est apud alterutrum. Existimabis forte vocem *triginta* apud Nostrum in *viginti* transiisse.

Haec sunt, quae de Agesilao ex alio fonte prodidit Nepos. Caetera omnia ex Xenophonte hausit. — Eximium Xenophonti Lacedaemoniorum studium obiici, eumque favore in Agesilaum suum, quo familiarissime usus est, alia ab eo egregie facta in coelum tulisse, alia vero quae minus prospere egerat, vel digna videbantur quae in eo reprehenderentur, praetermisisse, notum est. Sed

de nimiis laudibus, quibus amicum cumulaverit; loquimur, non de rebus Agesilai praeclare gestis, de eius amore in patriam, simplicitate morum, benevolentia erga omnes; quae omnia nemo adhuc in dubium vocavit, nec vocaturus est.

Xenophon, sua de Agesilao se non esse commentum, non semel affirmat; et quis eum falsitatis arguet, dum coram universis Graecis, qui Agesilaum bene noverant, audet dicere: εἶτ' ἐγὼ ταῦτα ψεύδομαι ἀντία τῆς Ἑλλάδος ἐπισταμένης ἐκεῖνον μὲν οὐδὲν ἐπαινῶ, ἐμαυτὸν δὲ ψέγω (2)? Aliis cum Agesilao interfuit ipse, alia ex eo cognovit. Sed in hoc uno, inquam, est culpandus, quod Agesilaum nimis effuse laudet. — Mediam, inter nimiam laudationem et frigidam narrationem, permeasse viam, mihi videtur Nepos, qui nec Agesilai contra Chabriam, apud Thebas, rem adversam reticuit, neque naturae in eo vitia caute tetigit, neque ea praeteriit, quae digna videbantur quae eximiis laudibus extollerentur. Sed omissis omnibus iis, quae minus convenirent consilio suo, in caeteris seligendis ac memorandis modum adhibuit, et diligentem iucundumque narratorem se praebuit. Haec, ut de eius in Agesilai vita auctoritate recte iudicetur, dicta sunto. Accedo ad tres praestantissimos Athenienses, qui iisdem temporibus floruerunt.

---

(2) In *Agesil.* p. 387. extr.

XI. IPHICRATES. XII. CHABRIAS. XIII. TIMOTHEUS.

Quae statim in principio IPHICRATIS vitae de egregiis eius ingenii dotibus tradit Nepos, ex eodem auctore atque Diodorus Sic. XV, 44. expressit, affirmanturque ea pluribus locis Lib. IV. Hellen. Xenophontis. Is tamen, eod. lib. extr. Iphicratem in multis rebus gestis reprehendit; immerito fortasse, quare poenas videtur dare Cornelio, qui quidem non dicit, Iphicratis auspicio numquam male esse pugnatum, sed negat eius quidem culpâ id esse factum.

In narratione de armis ab Iphicrate mutatis, quod magnos clypeos (μεγάλας ἀσπίδας) in peltas (πέλτας συμμέτρους) mutarit, ut milites, antea ὁπλῖται, nunc vero a peltis πελτισταὶ vocati, ad motus concursusque essent leviores; quod hastarum (δοράτων) gladiorumque (ξίφων) modum amplificarit, aliaque utilia invenerit (1); in his,

(1) Quomodo autem navalem exercitum aptiorem expeditioremque reddiderit Iphicrates, docet XENOPH. L. VI. Hellen. p. 343.

inquam, omnibus, adeo cum Diodoro Sic. L. XIV, c. 44, consentit Noster, ut dubitari nequeat, utrumque eundem fontem, Theopompum forte, adiisse. Theopompum enim in *Philippicis* de Iphicrate, Chabria, Timotheoque egisse satis videbimus. Eum excitat ipse Nepos sub finem Iphicratis vitae. Sed ibi insignem contradictionem esse iam pridem observavit Barthius. « Cum enim, " inquit, « Iphi-« cratem laudasset Nepos ab instruendo, docen-« do, exercendo, instituendo milite, adiicit: « « *Fuit in labore remissus nimis, parumque* « « *patiens, ut Theopompus prodidit.* " An ta-« lis homo potuerit talem militem constituere? « Taedet disputare; est enim falsissimum. Men-« titus utique est malignus scriptor Theopompus, « et incautus iste Latinus, qui malignum sequi-« tur, " caet. (2).

Belli ab Iphicrate cum Thracibus gesti mentionem facit Xenophon, L. IV. Hellen. sub fin. Neque ea quae egit in Thracia ille, neglexisse Theopompum, ostendunt cum fragmentum, quod mox in Chabria afferemus, tum haec verba apud Harpocrat. v. Δρῦς, pag. 90. Δρῦς — πόλις ἐν Ἠπείρῳ· ἔστι δὲ καὶ ἑτέρα ἐν Θράκῃ —— ταύτην Θεόπομπος ἐν εἰκοστῇ πέμπτῃ φησὶν ὑπὸ Ἰφικράτους κατοικισθῆναι. Deinde, Iphicratem regis Thraciae Cotyis filiam duxisse, testatur Athen. IV. p. 131. ubi longum affert fragmentum Anaxandridis comici, Iphicra-

(2) Barthius *ad Statii* lib. V. *Thebaid.* vers. 145, ab Neubingero in *Testim. de Corn. Nep.* allat.

tis aequalis, qui, in *Protesilao*, istarum nuptiarum apparatum, sumptus et convivium vehementer irrisit. Eas quoque nuptias Theopompum commemorasse, coniicio ex iis, quae scripsit de Cotyis voluptatibus ac deliciis, Lib. I. Philippic. apud Athenaeum, L. XII. p. 531. E, F.

Sed his maioris sunt momenti, quae ad expeditiones et reliqua Iphicratis fata pertinent. Cohortis Lacedaemoniorum apud Corinthum casum et cladem multis verbis exponit Xenoph. L. IV. Hellen. p. 309, quem inspexisse Nepotem minime dubito. Illas Iphicratis apud Corinthum res gestas, quae gloriae eius accessionem haud exiguam fecerunt (3), memoriae prodidisse etiam *Androtionem* et *Philochorum*, patet ex Harpocrat. (pag. 209. edit. Gronov.) in *Ξενικὸν ἐν Κορίνθῳ, Δημοσθένης Φιλιππικοῖς, καὶ Ἀριστοφάνης Πλούτῳ· συνεστήσατο δ' αὐτὸ πρῶτον Κόνων, παρέλαβε δ' αὐτὸ Ἰφικράτης ὕστερον, καὶ Χαβρίας, ᾧ χρησάμενοι, τὴν Λακεδαιμονίων μοῖραν κατέκοψαν στρατηγοῦντος αὐτοῖς Ἰφικράτους καὶ Καλλίου, κατάφησιν Ἀνδροτίωντε, καὶ Φιλόχορος ἐν δεκάτῃ.* — Deinceps, regem Aegyptium, quum Artaxerxes bellum ei inferre decrevit, Iphicratem ab Atheniensibus petivisse ducem, quem praeficeret exercitui conductitio, tradit etiam Diod. Sic. XV. 29. in numero tantum eius exercitus a

---

(3) « Passim ab oratoribus celebratur, *διὰ τὸ κατακεκόφθαι* « *ὑπ' αὐτοῦ τὴν μόραν*, DEMOSTH. in *Aristocrat.* p. 453. AESCHIN. « *advers. Ctesiphont.* p. 88, et DINARCHO *contr. Demosthen.* « p. 99," etc. WESSEL. ad *Diod. Sic.* L. XIV. c. 91. vs. 21.

Nostro discrepans, dum dicit, Lib. eod. c. 41. eum fuisse XX. M. hominum, pro quibus XII. M. computantur apud Cornelium. Non tamen inde colligo, eos diversis de hac re auctoribus credidisse; haud enim iurarem Nostrum non scripsisse XX. M., neque hunc numerum corrupta scriptura in XII. M. transiisse.

In eadem vita, Cap. III. citatur Theopompus, ex quo totum id caput deprompsisse Nepos videtur. In iis autem, quae ad Amyntae filios attinent, optime cum Theopompo consentiet Aeschines, quem, cum in Orat. περὶ παραπρεσβ. multis verbis doceat, quantum commodum Amyntae filiis attulerit Iphicrates, etiam ante oculos habuisse Nepos putatur. — Deinde, Iphicratem simul cum Timotheo bello sociali caussam capitis dixisse, tradunt quoque Diodorus et Polyaenus. Eum fuisse absolutum, cum Nepote congruens, significavit Polyaen. Stratag. L. III. 9, 29.; Timotheum vero damnatum, eiusque litem centum talentis aestimatam fuisse, constat ex Dinarch. Orat. in Demosth. p. 92. « ἀλλ' ἑκατὸν ταλάντοις ἐτιμήσατε.» qua de re videatur Wessel. ad Diod. Sic. XVI. 22.

At de Iphicratis accusatione, etc., alium fortasse adiit fontem Nepos. Intelligo ipsius Iphicratis Orat. περὶ τῆς προδοσίας, de qua Dionys. Halic. T. II. de Lysia Iudic. c. 12. extr. « ἐν γὰρ τῷ συμμαχικῷ πολέμῳ τὴν εἰσαγγελίαν Ἰφικράτης ἠγώνισται, καὶ τὰς εὐθύνας ὑπέσχηκε τῆς στρατηγίας, ὡς ἐξ αὐτοῦ γίνεται τοῦ λόγου (περὶ τῆς προδο-

σίας) καταφανές." Scripsisse adhoc Iphicratem, quum dimisso post pacem exercitu privatus vixit, orationem περὶ τῆς εἰκόνος, de statua ei ob res praeclare gestas prius publice posita, auctor est idem Dionysius, l. c. et infra, ad Ammaeum de Demosthene et Aristotele, c. XI, init. Iis orationibus totam fere vitam suam exposuisse Iphicratem, haud dubitandum.

Chabriam res multas memoria dignas gessisse, vere dixit Nepos. Id enim testantur Xenophon, Diodorus, Plutarchus, alii, et inter eos Demosthenes, adv. Leptin., his maxime: « ἑπτακαίδεκα πόλεις εἷλεν, ἑβδομήκοντα ναῦς ἔλαβε, τρισχιλίους δ' αἰχμαλώτους ἐχειρώσατο, δεκα δὲ καὶ ἑκατὸν τάλαντα ἀπέφηνε, τοσαῦτα δ' ἔστησε τρόπαια." — Eius inventum aut stratagema apud Thebas, quo victoriam Agesilao extorsit, reticuit Xenophon, sed id iisdem fere verbis tradunt Diod. Sic. XV. 32. Polyaen. II. 1, 2; unde liquet Nepotem id non finxisse. Ex Theopompo aut Callisthene fortasse sua sumsisse Nepos visus est Wesselingio ad Diod. l. c. Eo probabilius mihi fit, eum secutum esse priorem, quod multa in Chabriae vita ab eo petiit, ut mox apparebit. De statua ob illustre illud Chabriae facinus ab Atheniensibus ei constituta, conspirat cum Diod. Sic. XV. 33: uterque hanc rem ex eodem habet auctore. Honores ei a civitate decretos tangunt etiam

Demosthenes in Orat. modo cit. et Aeschines adv. Ctesiphontem.

Chabriam res in Aegypto sua sponte gessisse, et quidem Nectanebin adiutum profectum ei regnum constituisse, dixit Cornelius, cap. II. Multa super his disputarunt interpretes, et, mea quidem sententia, nodum in scirpo quaesivere. Nullam in Aegyptum expeditionem confundit Nepos. Jam supra observatum est eum, cum non perpetuam voluerit contexere historiam, sed res gestas virorum quorum vitas composuit praecipuas commemorare, nequaquam ducum suorum vestigiis adeo insistere potuisse, ut quae tradiderant ii, gradu eodem ac ordine repeteret, sed eum saepius a temporum ratione discessisse (4). Ita res se habet in Chabria, cap. II: attingit primum expeditionem, quam Chabrias in Aegyptum suscepit sua sponte, iniussu Atheniensium; et statim, ut in transcursu, monet eum etiam in Cyprum Evagoram adiutum ivisse (5), non quidem sua sponte, sed publice, consensu civitatis Atheniensium, ibique res gessisse, quibus et ipse et Athenienses magnam sunt adepti gloriam. Quibus observatis, filum narrationis abruptum iterum nectit dedu-

---

(4) Vid. in *Regib.* c. 1. de Xerxis morte. Cap. III. de Lysimacho, qui *post* Demetrii mortem conflixit cum Seleuco. *Hannib.* c. 5. ubi (si vere ita huius vitae partes disposuit) a temporum ordine deflectens, Fabium dictatorem facit *post* pugnam Cannensem.

(5) Huius expeditionis meminisse videtur Xenoph. *Hell.* V, init.

citque, et rem quam modo attigerat tantum, nunc clarius explanat, quantum quidem ad unum Chabriam attinet; nam eiusdem expeditionis meminerat iam in Agesilao, c. VIII.

Intelligit igitur eam expeditionem quam primus Agesilaus, iussu Lacedaemoniorum qui cum Aegyptiis societatem coierant, et mox Chabrias Laconi in re nulla cedens, iniussu vero Atheniensium qui cum Persis foedus percusserant, atque igitur sua sponte, pro Aegyptiorum rege Tacho contra Persas suscepit. — Agesilaum autem male habitum a barbaris Tachi partes deseruisse, atque (adiuvante certe Chabria) Nectanebo (6), qui etiam cum patre a rege desciverat, regnum constituisse, prodiderunt, excepto Diodoro, XV. 93, quem in errorem incidisse ibi ostendit Wesseling, alii scriptores, inter quos Xenophon (7), Plutarchus (8); item Theopompus in Philippicis, et Lyceas Naucratites, ut coniicere licet ex Athen. L. XIV. p. 616. D, E.

Ex Theopompo vero maximam partem Chabriae vitae depromsisse Nepotem, vix dubitandum. Tertium saltem cap. totidem fere verbis ex Lib. XIII. eius Philippicorum transcripsit, quod liquet ex Athen. L. XII. p. 532: « Ἐν δὲ τῇ τρισκαιδεκάτῃ

(6) Nectanebus, Nectanebis, Nectanabis, nam in scriptione discordia inter veteres est. Vid. Heusinger. ad *Corn. Nep. Agesil.* c. VIII.

(7) Vid. Xenoph. in *Agesil.* p. 385, sq.

(8) Vid. Plutarch. in *Agesil.* Vol. III. p. 413, sq.

τῶν Φιλιππικῶν, περὶ Χαβρίου τοῦ Ἀθηναίου ἱστορῶν φησὶν (ὁ Θεοπόμπος), οὐ δυνάμενος δὲ ζῆν ἐν τῇ πόλει (9) τὰ μὲν διὰ τὴν ἀσέλγειαν, καὶ διὰ τὴν πολυτέλειαν τὴν αὐτοῦ τὴν περὶ τὸν βίον, τὰ δὲ διὰ τοὺς Ἀθηναίους. ἅπασι γὰρ εἰσὶ χαλεποὶ, διὸ καὶ εἵλοντο αὐτῶν οἱ ἔνδοξοι ἔξω τῆς πόλεως καταβιοῦν, Ἰφικράτης μὲν ἐν Θρᾴκῃ, Κόνων δ' ἐν Κύπρῳ, Τιμόθεος δ' ἐν Λέσβῳ, Χάρης δ' ἐν Σιγείῳ, καὶ αὐτὸς ὁ Χάβριας ἐν Αἰγύπτῳ."

Ultima eiusdem cap. III. de Charete scripsit Nepos etiam, ni fallor, ex Theopompo, qui lib. XLV. Philippic. apud Athen. l. modo cit. Charetis mores perstrinxit, notaque perpetua inussit. Eum enim fuisse parum strenuum imperatorem, segnem, timidum, iniustum erga socios, è communi consensu ferunt principes scriptores, monente Lambino. Hinc pronunciare ausim, Nostrum sua de Charete, in Timoth. c. III. vere scripsisse. De ultimis Chabriae fatis (cap. IV.) consentit cum Diodoro, XVI. 7; utrumque et haec puto ex Theopompo hausisse.

Quum TIMOTHEI res in illorum ducum incidunt tempora, atque Nepos in eius vita enarran-

(9) Quibus verbis οὐ δυν. δὲ ζ. ε. τ. πόλει, clarum est hic Theopompi narrationem esse abscissam, atque eum etiam superiora, quae de Chabria tradit Nepos, in opere suo habuisse. Ultimis etiam huius fragmenti verbis firmari videtur sententia mea.

da utique eosdem auctores sequi debuit, exspectandum inde, eum in hac quoque vita veritati quam maxime studuisse. Attamen, quoniam saepius eum animadvertimus memoria, aut festinatione, lapsum; verendum est, ne in Timotheo quoque haec aliave minus accurate literis mandaverit. Quare, deperditis operibus, quae in huius vita ante oculos habuit, res praecipuae ab eo de Timotheo commemoratae aliorum scriptorum testimoniis, quantum quidem fieri possit, sunt firmandae.

Timotheum fuisse disertum et eloquentia militarem gloriam auxisse, cum Nostro testantur complures, inter quos Cicero de Orat. L. III. c. 34; de Offic. L. I. c. 32; et Demosthenes, cuius verba hic pertinentia attulit iam Lambinus.

Deinde, Timothei expeditionis adversus Olynthios meminit et Demosth. Olynth. 2. ἐπὶ Τιμοθέου πρὸς Ὀλυνθίους; et auctor Oeconomicorum L. II. c. 23, ut et Sami Corcyraeque, observante *Schotto* ad h. Nep. l.

Timotheum classi praefectum Peloponnesum circumnavigasse, classem Lacedaemoniorum profligasse, Corcyramque sub imperium Atheniensium redegisse, testatur et Xenophon Hellen. L. V. extr. Huius illustrissimae victoriae caussa publice Timotheo statuam fuisse positam, tradit etiam Aeschin. Orat. contra Ctesiph. extr.: « Πυθοῦ παρ' αὐτῶν διὰ τί τὰς δωρεὰς αὐτοῖς (Chabriae, Iphicrati, Timotheo) ἔδοσαν, καὶ τὰς εἰκόνας ἔστησαν; ἅπαντες γὰρ ἅμα σοι ἀποκρινοῦνται, ὅτι Χαβρίᾳ μὲν διὰ τὴν παρὰ Νάξου ναυμαχίαν, Ἰφικράτει δὲ, ὅτι

μοῖραν Λακεδαιμονίων ἀπέκτεινε, Τιμοθέῳ δὲ διὰ τὴν περίπλουν τὴν εἰς Κέρκυραν," κ. τ. λ. — Sed, ut recte monuit Lambinus, qui haec ex Aeschine attulit, quod Nepos tradit, tum primum ob hanc Corcyrae victoriam aras Paci Publicae fuisse factas, haud sane certum videtur; nam Athenienses perhibebant ob nobilissimam illam pacem, quam post victoriam Cimonis ad Eurymedontem cum Persis inierunt, aram pacis erexisse, teste Plutarcho in Cim. vit. Vol. III. p. 125.

Caput III. Menesthea ducem creatum cum Iphicrate et Timotheo, scribit Nepos. Posteriores duos tantum nominat Diodor. Sic. XVI. 21.; sed eis additum fuisse Menesthea, docet Dionys. Halic. in Dinarcho, Tom. II. p. 119. ult. ut iam ante me vidit Wesseling., quem vide ad Diodor. l. c.

Jam vero satis me ostendisse duco Nepotis auctoritatem in tribus hisce vitis minime esse spernendam. In iis Theopompo eum multum tribuisse, Xenophontem interdum inspexisse, et praestantissimos illius aevi oratores non neglexisse, vidimus. Neque dubitandum est quin Ephorum, cui non parum credidit, Callisthenem, Philochorum, Androtionem, aliosque deperditos scriptores legerit. Quid scripserint illi, supra declaratum; de posterioribus dicendum est.

Callisthenes, patria Olynthius, Aristotelis discipulus ac consobrinus, et comes Alexandri M. cuius odium sibi contraxit, ut iniusta nece inter-

ficeretur (10), non obscurum nactus erat inter historicos nomen. Praeter res gestas Alexandri M., quas descripserat, legebantur etiam eius Ἑλληνικὰ, et quidem eo more composita, qui recens invaluerat, nempe rhetorico. Exorsus erat hoc opus a pace Antalcidae, Graecos inter et Artaxerxem facta, atque X libris complectebatur res Graecorum per spatium XXX annorum gestas, serie deductas ad annum quo templum in Delphis a Philomelo Phocensi captum expilatumque est; i. e. ab an. 387—357 ant. C. N. (11).

Philochorus, praestantissimus historicus, saepissime a Plutarcho, et haud raro a Dionys. Hal., A. Gellio, Athenaeo, Suida, aliisque laudatus, fuit ex Alexandrinae aetatis scriptoribus, Eratostheni aequalis, minor quidem natu, quippe qui Eratosthene iam sene adolescens erat, teste Suida, v. Φιλόχορος. Scripserat inter alia Ἀττικὰς ἱστορίας (opus simpliciter quoque Ἀττικὰ, vel Ἀτθίς vocatum) XVII libris comprehensas, quibus res gestas Atheniensium, inde ab origine urbis, eorumque reges ac duces usque ad tempora Antiochi Θεοῦ complectebatur (12). Is, lib. VI Atthidis, plura tradiderat et de Olynthiorum bello cum Philippo Macedone, et de Charete, quem

(10) Vid. Curt. L. VIII. c. 8.

(11) Vid. Diod. Sic. IV. 1. (ibiq. Wessel.), XIV, 117. XVI, 14. Cf. Voss. *de Hist. Gr.* p. 40 sq.

(12) Vid. Voss. *de Hist. Gr.* p. 115. Heeren, *de font. et auctor. Plutarchi*, p. 13.

Athenienses Olynthiis auxilio miserunt atque Philippo opposuerunt; quod liquet ex fragm. eiusdem libri apud Dionys. Halicarnass. Tom. II. p. 122. Unde probabile foret, Nepotem in Timotheo, c. III, nonnulla ei debuisse.

Androtion, scriptor incertae aetatis, sed variis auctoribus laudatus (15), et quem supra vidimus cum Philochoro de Iphicrate et Chabria scripsisse, ediderat Ἀττικὰ, quorum duodecimum librum citat Harpocrat. in Ἀμφίπολις.

(15) Vid. Voss. *de Hist. Gr.* p. 322.

XIV. EPAMINONDAS. XV. PELOPIDAS.

Nemo, lecta et perlecta Epaminondae vita, inficiabitur, nullum fuisse Graecorum, quem maiore admiratione haberet Nepos; quare suspicari liceret, in ea enarranda quam diligentissimum, veritatisque studiosissimum virum sese praebuisse: auctores enim ex quibus sua petierit silentio praeterivit.

Omnino dolendum est, inter vitas Plutarchi illam Epaminondae, cui neminem certe anteposuit ille vir, periisse. Quam nobis si concessisset fortuna, expedita haud dubie foret de fontibus, quos uterque biographus in vitis Thebanorum ducum adiit, disquisitio. Vitae enim Epaminondae fontes cum illis Pelopidae ita coniunctos fuisse, ut narratio de utriusque fatis vix separari potuerit, egregie monuit Heerenius meus (1). Quod et perspicue indicat Nepos, in Pelop. c. IV. « . . . Liberandarum Thebarum," inquit, « propria laus est Pelopidae: ceterae fere omnes communes cum

(1) Vid. Heeren, *de font. et auct. Plut.* p. 50.

Epaminonda. Namque in Leuctrica pugna, imperatore Epaminonda, hic fuit dux delectae manus, quae prima phalangem prostravit Laconum. Omnibus praeterea periculis adfuit. — Denique haec fuit altera persona Thebis, sed tamen secunda, ita ut proxima esset Epaminondae." — Itaque haec aliave, quae in Pelopida breviter attigit, fusius exponere debuit in Epaminonda; alia vero quibus in Epaminonda non idoneus aut non proprius esset locus, ut Thebarum liberatio a Spartano iugo, Pelopidae reservavit.

Res ipsa hortari videtur, quoniam Diodorus Siculus res gestas Epaminondae Pelopidaeque exposuit, et apud Plutarchum praeter Pelopidae vitam nonnulla adhuc de Epaminonda commemorantur, cum horum historicorum traditis Nepotis conferre tradita, ut de huius fide iudicium ferri queat; deinde de fontibus quos probabiliter adiit iudicium nostrum interponere.

Non ignoramus Xenophontem Socraticum etiam Thebanorum nostrorum res memoriae prodidisse; sed neque nos fugit eundem Xenophontem, infausto studio ductum, plurimum et Epaminondae et Pelopidae laudis detraxisse. In tanta igitur horum ducum admiratione Cornelium nostrum, haud secus ac Plutarchum, in eorum vitis enarrandis non Xenophontem sibi ducem eligere potuisse, vix opus est ut moneamus (2).

---

(2) Cf. Heeren, l. l.

Quisquis autem contulerit inter se Diodori, Plutarchi, Nepotisque de Thebanis ducibus tradita, minime dubitabit quin ex iisdem fontibus fluxerint. Quod appareret vel unius Lambini locupletibus adnotationibus. Perpauca omnino sunt in quibus discrepare videretur Noster. Exemp. g. refert cap. X, Epaminondam cum a Pelopida reprehenderetur quod uxorem numquam duxisset, nec liberos relinqueret, ita respondisse: « Ex me natam relinquo pugnam Leuctricam. » Diodorus vero, L. XV. c. 87. « quemdam amicum, cum Epaminondas telum letale iam extraxisset, obortis lacrymis doluisse, quod filios relinqueret nullos; » et Epaminondam dixisse: « Relinquo Leuctram et Mantineam. » In his tamen, ni fallor, valet Diodori et Nepotis auctoritas. Epaminondas enim amico suo pugnam Mantinensem in memoriam vocare non potuit, cum is duobus iam ante annis, in proelio adversus Alexandrum Pheraeum commisso, (ann. a. Ch. 364.) vitam amiserit. Vera igitur esse possunt Cornelii tradita, vera et Diodori narratio; sed, ut res ipsa monet, in posterius tempus ferenda.

Epaminondam nunquam uxorem duxisse, iam pronunciaverat Nepos cap. V. Atqui filium suscepisse, Stesimbrotum nomine, ex Plutarch. περὶ παραλλ. significavit Lambinus, qui etiam ex Polyaen. Stratag. l. II. commonefacit Epaminondam uxorem habuisse, hancque a Phoebida Lacedaemone, qui Cadmeam cepit, amatam ab eoque tentatam fuisse. Nescio an apud alios de hac re aliquid

legatur. Hoc scio, cum Nostro optime congruere Plutarchum in Pelopida (3): « Ἐπαμινώνδας μὲν οὖν συνήθη καὶ πατρῴαν οὖσαν αὐτῷ τὴν πενίαν, ἔτι μᾶλλον εὔζωνον καὶ κοῦφον ἐποίησεν φιλοσοφῶν, καὶ μονότροπον βίον ἀπ' ἀρχῆς ἑλόμενος. Πελοπίδᾳ δὲ ἦν μὲν γάμος λάμπρος, ἐγένοντο δὲ καὶ παῖδες, κ. τ. λ." — Putarunt quidam, ut veteres inter se conciliarent, ex quibus I. S. Ith, in sua Nepot. edit., Epaminondam non quidem *uxorem duxisse*, attamen *mulierem aluisse*. Quod et crederes ex Aristotelis discipulo, *Clearcho*, apud Athenaeum (4), qui, puto in opere historico ἐροτικῶν, narrationes continente amatorias, περὶ Ἐπαμινώνδου φησὶν οὕτως· « Ἐπαμινώνδας ὁ Θηβαῖος σεμνότερον μὲν τούτων (de quibus ibid. paullo superius) οὐκ εὐσχημόνως δὲ περὶ τὰς ὁμιλίας ἐσφάλλετο τὴν γνώμην, εἴ τις θεωροίη τὰ πραχθέντα αὐτῷ περὶ τὴν Λάκονως (Λάκωνος) γυναῖκα." Hoc unum ex his intelligo, Epaminondam non prorsus a mulieribus se abstinuisse. Id simulavertitne Cornelius, haud exploratum; dicit tantum cum Plutarcho, atque ex eodem fonte, Epaminondam nuptias perpetuo fuisse adversatum.

Porro, quod refert Nepos, Epaminondam praeceptorem philosophiae habuisse Lysim Tarentinum, Pythagoreum; eius abstinentiam a Diome-

---

(3) Plut. Vol. II. p. 200, sq. Fugisse hic locus Lambini diligentiam videtur.

(4) Athen. XIII. p. 590, C. De Clearcho, eiusque operibus, consul. Voss. *de Histor. Gr.* p. 48.

dente Cyziceno fuisse tentatam; adhoc, Menecli-dam eum in magistratu fatigasse; Callistratum, oratorem eo tempore praestantissimum, adversus eum verba fecisse: haec omnia, et alia plura, sive a Diodoro, sive a Plutarcho aliisve esse prodita, ubertim ostendit Lambinus.

Ad Callistratum revertor, ut Wesselingii notam ad Diod. Sic. XV. 38, qui eadem de conventu Arcadum tradit, hic apponam. — Καλλιστράτου δὲ τοῦ δημαγωγοῦ τὸν λόγον διαθεμένου, etc. Ad haec Wesseling.: « Vide," inquit, « Corn. « Nep. in Epam. c. 6. et Plut. Apophthegm. p. « 193, D. Id vero dubites haud immerito, lega-« tionemne hoc tempore obierit, et pro concione « ea dixerit Callistratus orator. Xenophon qui-« dem certe altera pacificatione Callistratum Spar-« tae egisse et in Thebanos invectum esse, testis « est. Quin si rerum seriem, quam idem ille « Xenophon pertexit, consideres, verior potior-« que eius caussa videbitur. Inspice L. VI, 459. « Hellen. quaeque disputavit H. Dodwellus Ann. « Xenoph. p. 275." — Nec quid agam, neque quid huic respondeam bene scio.

Cap. VII. legimus Epaminondae Pelopidaeque imperium fuisse abrogatum, etc. Recte quidem de re, at non ita de caussa. Non enim propter invidiam adversariorum id illis accidit, verum quod imperii gerendi tempus lege praefinitum iam elapsum erat. Caeterum, utrumque ducem reipublicae conservandae gratia imperium quatuor mensibus diutius tenuisse, hancque ob

caussam, ubi redierunt, cum collegis reos exstitisse, etc. testantur, cum Nostro, Plut. in Pelop. p. 224, sq. ut et in Politic. et in Apophtheg.; Aelian. V. H. XIII. 42., qui totum fere Nepotis septimum id caput ex eodem fonte expressit. Praeterea, collegas suos iussisse Epaninondam ut eius rei culpam in se ferrent, monuit Lambinus hoc quoque legi apud Plut. in Apopth., cuius iisdem verbis utitur Aelianus, l. c. — Adde et Appian. Συριακὴ, p. 114, sq., edit. Steph. 1592.

Quae cap. IX. de praeclarissimâ Epaminondae apud Mantineam victoria, de eiusque honestissima morte exponuntur, partim copiosius, partim brevius commemorant Xenophon — qui hoc proelio Hellenica sua absolvit —; Diod. Sic. XV. 87; Cic. ad Famil. V. 12. et de Finib. II. 30; Paus. IX. 15; Plut. in Apopth.; Justin. VI. 8; Aelian. Var. Hist. XII. 3; et alii quidam. Vix in omni antiquitate invenitur vir, qui plures sui admiratores adeptus sit, quam Epaminondas.

Jam vero de Leuctrica pugna mihi dicendum fuisset, nisi hanc disquisitioni, non de auctoritate, verum de fontibus Nepotis in duoum Thebanorum vitis, reservassem. Leuctrica quidem et illis cohaerentia neglexisse Theopompum, pronunciavit Wesselingius (5), fretus auctoritate Polybii, Excerpt. p. 1379, cui sane credam, etsi ex Athenaeo (6) video, illum ea non plane ta-

(5) Ad *Diod. Sic.* XV. 54.
(6) L. XIII. p. 605, A.

cuisse. Ibi enim legitur: Θεόπομπος δ' ἐν τῷ περὶ τῶν συληθέντων ἐκ Δελφῶν χρημάτων Ἀσώπιχον φησὶ τὸν Ἐπαμινώνδου ἐρώμενον (7), τὸ Λευκτρικὸν τρόπαιον ἐντετυπωμένον ἔχειν ἐπὶ τῆς ἀσπίδος, καὶ θαυμαστῶς αὐτὸν κινδυνεύειν, ἀνακεῖσθαι δὲ τὴν ἀσπίδα ταύτην ἐν Δελφοῖς ἐν τῇ στοᾷ. Credibile est, Theopompum inter spolia delphica hoc scutum recensuisse, nec prorsus de Leuctricis aliorsum egisse. — Callisthenem vero in Ἑλληνικοῖς ea copiose descripsisse novimus ex Cic. Divinat. I. 34. Sed a nemine fortasse illam pugnam diligentius quam ab Ephoro enarratam fuisse, adeo ut inter notissimas eius descriptio celebraretur, egregie ex Plutarcho ostendit *Marxius* (8); unde suspicari licet, illum historicum vel omnibus Thebanorum rebus maximam operam navasse, posterioresque scriptores ei plurimum tribuisse. Hoc mihi fit probabile ex ultimis verbis quibus Epaminondae vitam concludit Nepos; iis enim haud dissimilia leguntur in Ephori fragm. ordine 67, quod ex Strabone IX. p. 614. exhibuit Marxius (9): « — Τὴν μὲν οὖν χώραν (Βοιωτίαν) ἐπαινεῖ (Ἔφορος) . . . ., καὶ φησὶ πρὸς ἡγεμονίαν εὐφυῶς ἔχειν· ἀγωγῇ δὲ καὶ παιδείᾳ μὴ χρησαμένους, ἐπεὶ μηδὲ τοὺς ἀεὶ προϊσταμένους αὐτῆς, εἰ καί ποτε κατώρθωσαν, ἐπὶ

(7) Num hic Asopichus idem esse debeat, qui apud Nep. *Epam.* c. 4. Micythus dicitur, an alius, non habeo dicere.

(8) *Ephori fragm.* p. 251.

(9) *Ephori fragm.* p. 177, sq.

μακρὸν τὸν χρόνον συμμεῖναι. καθάπερ Ἐπαμεινώνδας ἔδειξε. Τελευτήσαντος γὰρ ἐκείνου τὴν ἡγεμονίαν ἀποβαλεῖν εὐθὺς τοὺς Θηβαίους (συνέβη,) γευσαμένους αὐτῆς μόνον. αἴτιον δὲ εἶναι, τὸ λόγων καὶ ὁμιλίας τῆς πρὸς ἀνθρώπους ὀλιγωρῆσαι, μόνης δ' ἐπιμεληθῆναι τῆς κατὰ πόλεμον ἀρετῆς." — Ego vehementer fallor, aut Nepos haec legit, ut et Diod. XV. 88. et Trogus L. VI. c. 8.

Res Epaminondae exposuerunt etiam,

ARISTOXENUS, ex quo tradit Athenaeus, L. V. p. 184, E. Epaminondam tibia ludendi artis peritum evasisse, doctoribus Olympiodoro et Orthagora (10). Fuit is Aristoxenus Tarentinus, Musicus et Aristotelis discipulus. Multis admodum inclaruit operibus, quorum celebratissimum erat illud *de Vitis illustrium Virorum*, a variis scriptoribus allaudatum (11). Non dubitandum eum vitas Epaminondae ac Pelopidae, quorum coaevus fuit, egregie perscripsisse, atque Nepotem eum consuluisse.

ANAXIMENES Lampsacenus, Rhetor, Alexandrique comes; quem inde a Deorum ortu et generis humani primordiis exorsum, universas prope Graecorum et Barbarorum res gestas XII voluminibus complexum esse, atque historias suas ad

---

(10) Hic Epaminondae in Musice magister respicitur a PLATONE in *Protag.* p. 318, C. De eo, ut et de Lysi Pythagoreo, Damone, Lampro, vide egregie disserentem Vir. doctiss. consultiss. G. GROEN VAN PRINSTERER, in *Platonica Prosopographia* p. 70, 189—191.

(11) Vid. VOSS. *de Hist. Gr.* p. 43.

proelium Mantineae commissum et Epaminondae interitum deduxisse testis est Diod. Sic. (12).

AGATHARCHIDES Cnidius, qui temporibus Ptolemaei Philometoris (181—145) floruit (13). Ex Athenaeo, L. XIV. pag. 650, F. novimus hunc de Epaminonda scripsisse, in libro saltem XIX Εὐρωπικῶν, cuius spissi operis lib. XXXVIII[m] advocat idem Athen. VI. p. 272, D.

Consignaverat Epaminondae Pelopidaeque vitam XENOPHON, Atheniensis quidam, sed diversus ab illustri Κυρουπαιδείας auctore (14). Sed non satis notus est is, ut de eo quid statuam, aut credam a Nepote consultum fuisse.

Non debuerunt Thebanorum res negligere DURIS Samius in Ἑλληνικοῖς (de quibus supra dictum) et HIERONYMUS Rhodius, Aristotelis discipulus, quem conscripsisse ἱστορικὰ ὑπομνήματα, testis est Athen. L. XIII. pp. 557, 604.

Ipsi autem Thebani non caruerunt historicis qui egregia eorum facta memoriae proderent, quosque recentiores scriptores utique consulere debuerunt. Eminuerunt inter eos DIONYSIODORUS et ANAXIS, qui, teste Diodoro (15), historiam rerum Graecarum ad finem Olymp. CIV. i. e. usque ad pugnam Mantinensem, Epaminondaeque interitum, deduxerunt.

(12) Diod. Sic. L. XV. 89. Cf. Voss. de Hist. Gr. p. 57.
(13) De quo vid. Voss. de Hist. Gr. p. 128.
(14) Vid. Voss. de Hist. Gr. p. 424.
(15) Diod. Sic. L. XV. 95.

Omnino Thebanorum res copiosissime expositas fuisse, liquet cum ex ultimis Nepotis verbis in Epam. c. IV. primisque in Pelop. c. I. tum maxime ex eo, quod nullam fere in omni Nepote vitam diligentius, iucundius, suaviusque enarratam invenimus, quam Epaminondae, aut Pelopidae vitam. Non diversos in alterutra Nostrum auctores sequi potuisse, iam supra monuimus. Inter ea, quae in Epaminonda omittens Pelopidae reservavit, pertinet imprimis Cadmeae a Phoebida expugnatio, Thebanorumque exsulum reditus ac liberatio patriae a Lacedaemoniorum tyrannide. Hac autem historia adeo delectatus esse Cornelius (16) videtur, ut, etsi monet se summas tantummodo res attacturum, vix se continuerit quin eam totam cum cohaerentibus enarraverit. Quod sane innuunt ipsius verba, cap. III: « *hoc loco libet interponere, etsi seiunctum a re proposita est*," verebatur enim ne, si res Pelopidae exponere inciperet, non vitam eius enarrare, sed historiam videretur scribere. Atque brevitatis studio ductus, interdum minus accurate scripsisse videtur bonus Cornelius, v. g. cap. III. ubi legimus, magistratuum Thebanorum statim ad aures pervenisse exsules in urbem devenisse, id autem illos usque despexisse, *ut ne quaerere quidem de tanta re laborarint.* Plutarchus vero, apud quem vix historiam tam ac-

(16) Et Plutarchus. Vid. Heeren, op. I. p. 50.

curate enarratam invenies, quam illam de Thebarum liberatione (17), refert (18) Archiam arcessisse Charonem, huncque interrogasse quosnam audisset in urbem venisse? Charonem se ignorare finxisse, cumque animadverteret Archiam nihil certi dicere posse, eum monuisse ne inanis eum conturbaret rumor. Haec a Philida (Archiae a literis, re autem vera coniurationis socii), qui cum Archia Charoni obviam processerat, approbata esse, atque eos e vestigio in triclinium sese recepisse, compotationesque redintegrasse. — Haec non omittere debebat Nepos, aut saltem non affirmare polemarchos de tanta re quaerere noluisse. — Estque alia res, in qua nimis brevitati favet. Dicit (eod. cap.) tyrannos omnes *vinolentos* ab exsulibus, duce Pelopida, esse interfectos. Secundum Plutarchum (19): « quum iam res matura videretur, tempusque opportunum nacta, exsules bipartito eruperunt; Pelopidas et Damoclidas in Leontidam et Hypatem, qui vicinas aedes habebant; Charon et Melon in Archiam et Philippum. Hi mero graves facile trucidati sunt, at Pelopidae cum suis plus fuit negotii, siquidem sobrium et valentem adoriebantur Leontidam. ... Hic occidit Cephisodorum, unum ex Pelopidae comitibus; quo prolapso, cum secundo Pelopida manus conseruit. ... Tan-

(17) Vid. Heeren, l. l.
(18) Plut. in *Pelop.* p. 207, sq.
(19) Id. ib. p. 209.

dem superior evasit Pelopidas, interfectoque Leontida, extemplo contendit in Hypatem, qui confugit ad vicinos, a quibus e vestigio confossus periit," etc. — Cum in his, tum in caeteris, quae ad Thebarum liberationem pertinent, maiorem adeptus est gloriam Pelopidas. Recte igitur scribit Noster, cum Diodoro (XV, 81.), liberandarum Thebarum propriam laudem esse Pelopidae; quibus adsentitur Plutarch. (20) ὑφίστατο δὲ τὴν πρᾶξιν Πελοπίδας πρῶτος, εἶτα Μέλων (21), etsi huic, cum sex suis comitibus, omnem celeberrimi facinoris gloriam tribuit Xenophon. Duodecim enim exsules, Pelopida duce, patriae liberationem tyrannorumque internecionem in se suscepisse vehementer affirmant Plutarchus et Nepos. Et in hac re intelligi potest quam iniquus Xenophon fuerit in Thebanos; nam in longa eius eventus narratione ne semel quidem Pelopidae nomen advocat, atque vix illustrissimi viri mentionem facit ante lib. VII. ubi de victoria Leutrica, et de Pelopidae legatione ad Persas est sermo. — Haec autem legatio me admonet ut gravem Lambini lapsum ad cap. ultim. quo Nepos de Pelopidae legatione apud Alexandrum Pherarum tyrannum loquitur, ostendam. « Nulla," inquit, « legationis (huius) fit mentio, neque apud Dio« dorum, neque apud Plutarchum," etc. Atqui

(20) In *Pelop.* p. 205.

(21) Apud Plutarch. perpetuo legitur Μέλων, Φιλλίδας, pro quibus ap. Xenoph. Μέλλων, Φιλλίδας.

certe huius legationis mentionem fieri apud Plutarchum, cognosces ex eius hisce verbis, in Pelop, p. 228: « Μετὰ δὲ ταῦτα πάλιν τῶν Θετταλῶν αἰτιωμένων τὸν Φεραῖον Ἀλέξανδρον ὡς διαταράττοντα τὰς πόλεις, ἀπεστάλη μετὰ Ἰσμηνίου πρεσβεύων ὁ Πελοπίδας.” (22).

Sed tempus est ut huic disquisitioni finem imponam. Congruunt et Diodori de Pelopida tradita cum Nepotis traditis, v. c. cap. IV. fere integrum invenitur apud Diod. XV. 81. Adhoc, cuncta, quae Nepos de Pelopida scripsit, legis apud Plutarchum; quin etiam nonnulla iisdem pene verbis ob utroque narrantur; ut, de canibus venaticis, retibus vestituque agresti, quibuscum exsules urbem introierunt; et de epistola Archiae tradita, etc. De una re tamen levis discordia. Non amplius *centum* fuisse exsules, qui tanto patriae liberandae se offerrent periculo, tradit Noster cap. II. *Duodequinquaginta* recenset Plutarch. p. 207. *Trecentos* exsilio multatos fuisse refert Diod. XV. 20. Xenoph. L. V. Hell. p. 326. *admodum quadringentos* supputat. Sed observandum, neque Plutarchum, neque Nepotem dixisse *universos*, qui in exsilium acti essent, illi periculo sese obtulisse. Caeterum vide similem discordiam in simili re, in Thrasybulo.

Neque tamen adeo desperaverunt Xenophontem ambo biographi ut prorsus nihil ei tribuerint,

(22) Conf. POLYB. Lib. VIII. *Excerpt. Op.* p. 512.

Facile ostendere possemus eos eum, etsi raro, tamen interdum inspexisse, quando dignus videbatur cui fidem haberent. Sed iam diutius commorati sumus; et ex omnibus, quae in ducum Thebanorum vitis disputavimus, Nepotis fidem sane non levem esse, satis nos ostendisse arbitramur.

Properemus igitur ad Syracusanos, quibuscum secunda classis initium capit.

SECUNDA CLASSIS.

CAETERI GRAECI AC PEREGRINI.

XVI. DION. XVII. TIMOLEON.

Deficientibus antiquissimis auctoribus qui Dionis et Timoleontis res fataque memoriae prodiderunt, eandem quam supra iam ingressi sumus viam, in his quoque vitis sequi cogimur. Conferenda scilicet sunt Nepotis tradita cum Diodori et Plutarchi traditis. Collatis autem hisce inter se historicis, apparet eos haud diversos adiisse fontes. Quibus cognitis, mox expedita est haec nostra de Cornelii fontibus disquisitio. Hoc tamen non inficiandum est, nonnulla in Dionis vita apud Nostrum aliter quam apud Diodorum, aut Plutarchum, legi: sed minime ex aliis emanavere fontibus; namque Diodorum et utrumque biographum eadem aqua hortos rigasse suos, certum est. Itaque prius, quae sive Nepotis ne-

gligentia, sive librariorum incuria, non accurate exposita sunt, ostendemus.

Primus locus est Cap. II. ubi Nepos, narrans Dionysium seniorem Platonem arcessisse et magnificentissime excepisse, ita festinans confundit Dionysios, ut quae vera sunt de filio, perperam patri tribuat. Ex ipso Platone videre poterat, philosophum illum, regnante Dionysio maiore, primum venisse Syracusas, non invitatum a tyranno, verum forte fortuna: ταῦτα διανοούμενος, εἰς Συρακούσας διεπορεύθην, ἴσως μὲν κατὰ τύχην, sunt verba ipsius Platonis, Epistol. VII. (1). Hanc autem Epistolam ante oculos habuisse Cornelium, patebit infra; sed cum pro consilio operis non multa sibi ex ea sumenda existimaret, eam evolvit, ut saepius auctores suos, nimirum properans.

Deinde, ex eadem epistola edoceri poterat Heraclidem, cum Dion, cuius amicus erat, Corinthum pervenisset, non a Dionysio fuisse exactum, quod vult cap. V, verum exorta militum seditione, quod Dionysius eorum stipendia minuere conabatur, cum huius motus caussa in Heraclidem ferretur, hunc clam se dedisse in pedes atque evasisse (2).

Aliud est eod. cap. mendum. Ibi legimus, « Dionem duabus onerariis navibus, — imperium munitum quingentis longis navibus, decem equi-

---

(1) Plat. Opp. T. III. p. 326, D.
(2) Plat. Opp. T. III. p. 348.

tum, centum peditum millibus, profectum esse oppugnatum". Tum de Dionis navibus, tum de Dionysii copiis ita congruunt Nepos, Diodorus et Plutarchus, ut statim in oculos incurrat eos uni et eidem auctori de his credidisse. Hinc igitur colligitur eos in navium longarum numero haudquaquam discrepare potuisse, quod iamdudum animadvertit summus Wesselingius, ad Diod. Sic. qui lib. XVI. 9. quadrindringentas naves longas computat. Haec ille de Nepotis discordia: « Credo librariorum peccato. « Auctor (Diodor.) enim iterum cap. 71. (lege « 70.) et Plut. Dion. p. 963. E. (Vol. V. p. 171.) « cum Aelian. Var. Hist. L. VI. 12. Dionysio « CCCC naves longas largiuntur."

Denique, Dionis proditorem, quem *Callippum* vocant Plato Epist. VII. p. 334. Diod. Sic. XVI. 32, 36. Plutarch. Dion. Vol. V. p. 173, 186, 210. et sqq.; Athen. L. XI. p. 508. F., *Callicratem* nominat Nepos, cap. VIII, ubi Lambinus: « — credibile est hunc Callicratem Callippi fra- « trem fuisse, et Probum (Nepotem) Callippi « fratrem pro Callippo sumsisse: quemadmodum « poetae interdum Pollucem pro Castore appel- « lant. Fuisse autem duos fratres, licet ex Pla- « tone intelligere, in Epistola ad Dionis propin- « quos," etc. — Platonis verba, quibus docemur Dionem Athenis duos fratres sibi amicos secum duxisse, non afferam; nec enim in iis duorum fratrum comperimus nomina. De mendo apud Nepotem dubium esse nequit. Minime

placet medicina Lambini, secundum quem fuerunt illi fratres Callippus et Callicrates. Falso. Namque ipse Nepos, cap. IX. alterum vocat *Philostratum*, pro quo vulgo *Philocratus*, vel *Philocrates*; unde apparet haec nomina olim sive amanuensis, sive librarii cuiusdam peccato fuisse depravata. Nec est praeterea cur uni Nepoti de hac re potius credamus quam Platoni, Diodoro, Plutarcho, Athenaeo. Pro *Callicrate*, lege *Callippum*.

Haec sunt, quae in Dionis vita animadvertenda habebamus. Caeteris bene se habentibus, fontes indicemus ex quibus profluxerint.

Ut iam monuit celeberrimus Heeren, in disquis. de font. Plut. in vit. Dionis et Timoleontis, « vix fuit in ipsa Graecia civitas, cuius his-« toria saepius exposita fuerit, quam urbis Syra-« cusarum in Sicilia. Quamvis vero nullum ex « scriptoribus illis superstitem esse voluerit for-« tuna, raro tamen sine ira vel studio tractatam « fuisse Syracusarum historiam novimus. Erant « enim auctores, qui in ea ingenium exercebant, « homines fere in regum aula viventes, quos, « cum gratia apud eos florerent, turpi adulatio-« ne extollebant, sin vero, ut fieri solet, ab ad-« versariis loco suo deiecti, ac in exsilium acti « essent, convitia in principes evomebant." — Fuere inter eos duo maxime insignes, Philistus et Timaeus. Hic, patria Tauromenites, etiam Siculus dictus, variis operibus inclaruit, imprimis eius *Siculis*, quibus Syracusarum historia usque ad Pyrrhi Epirotae ex Sicilia abitum,

erat deducta. Bellis cum Pyrrho gestis proprium tamen volumen separatim dedicaverat (3). Priscas res universali historia complexus, τὰ μὲν ἀρχαῖα τῶν ἱστοριῶν ἐν ταῖς κοιναῖς ἱστορίαις ἀφηγησάμενος, narravit, teste Dionys. Halic. (4).

TIMAEUM autem fuisse iniquissimum obtrectatatorem, non modo Agathoclis, in quem privato odio incensus erat, quod eum ex insula in exsilium egerat; verum omnino eum ob animi acerbitatem a probi historici officio discessisse, et maledicentiae nimium indulsisse, quaeruntur et alii et ipse Nepos in Alcib. c. XI. Quare ob nimiam vituperandi libidinem Ἐπιτίμαιος, *taxator*, cognominatus fuit (5). Anteriorum quoque historiae scriptorum errores acerrime castigavit (6), atque ipsum, si quinque libros quibus res Agathoclis gestas complexus erat excipias, in caeteris historiae suae partibus veritatis studium ostentasse, ferunt inter alios Polybius (7) et Diodorus (8). Quare non mirandum Plutarchum (9) et Nepotem eo in Siculis

---

(3) Dion. Hal. *Antiq. Rom.* T. I. p. 5. Cf. Cic. *Epist. ad Famil.* V. 12.

(4) Dion. Hal. l. c.

(5) Diod. Sic. V, 1.

(6) Diod. Sic. *Excerpt. de Virt. et Vit.* T. II. p. 560.

(7) Polyb. *Excerpt. Vales.* p. 1394. Vid. Wessel. ad Diod. Sic. V, 1.

(8) Diod. Sic. V, 1.

(9) Vid. Heeren, *de font. etc. Plut.* p. 52. Cf. de Timaeo Voss. *de Hist. Gr.* p. 81, sq.

usos esse. Uno saltem loco ostendam Nostrum de his eum consuluisse; nam quae de morbo ac morte Dionysii superioris tradit, ex eo deprompta sunt (10). — Timaeo senior fuit

Philistus Syracusanus, quippe qui iisdem temporibus atque Xenophon floruit. Fuit et grege adulatorum Dionysii senioris, a quo tamen postea ex Sicilia exterminatus, perfugit Adriam, ubi, ut videtur Plutarcho (11), cum magno abundaret otio, historiam suam maxima ex parte composuit. Revocatus fuit a Dionysio iuniore, aulicorum suasu, ut eum opponeret Platoni; quod liquet cum ex aliis, tum ex Nepote (12), qui eum praeterea *hominem amicum non magis tyranno quam tyrannidi* vocat (13); quae verba docent Nostrum eum ex eius scriptis novisse, at non maxime probasse. — (Ubi hic Platonis Dionisque acerbissimus adversarius ex Japygia, magna cum classe, suppetias venit Dionysio (a quo summus classis praefectus creatus fuerat) contra Dionem, commisso proelio pessima morte vitam finivit (14), Olymp. CVI. 1.

Quod ad eius scripta attinet, eorum materia in

(10) Vid. Plut. in *Dion.* Vol. V. p. 164.

(11) Plut. ibid. p. 169.

(12) C. Nep. *Dion.* c. 3.

(13) Id. ibid. Haud aliter de eo sentiunt Dionys. Halic. Tom. II. p. 70, 131. et Plut. *Dion.*

(14) Consul. de crudeli Philisti fine, Diod. Sic. XVI, 16. et imprimis Plut. *Dion.* p. 193, sq. ex Ephoro, Timonide ac Timaeo.

duas inscriptiones digesta erat, altera περὶ Σικελίας, altera περὶ Διονυσίου (15) τοῦ πρεσβυτέρου; erat autem una et eadem, sed in duas partes divisa. Prima pars *Res Siculas* gestas per spatium plus quam octingentorum annorum, usque ad Agrigentum a Poenis captum, Olymp. XCIII. 3. vel usque ad Dionysium seniorem, qui hoc anno dominatum occupavit, VII voluminibus complectebatur. Alteram vero operis partem a fine prioris exorsus, per libros IV deduxit (16) usque ad Olymp. CI. 1.

Scripsit praeterea Philistus et Dionysii iunioris historiam, duobus libris, quibus res a tyranno per *quinque* annos gestas complectebatur; διελθὼν ἔτη πέντε ἐν βιβλίοις δυσὶν, ut tradit Diodorus (17). Finivit igitur hoc opus cum Olympiad. CIV. 2. eodem anno, quo pugna apud Mantineam gesta est, et Xenophon Hellenica sua absolvit.

Philistus, ut refert Dionys. Halic., Thucydidis secutus est stylum, non mores; hic enim liber est et animi magnitudinis plenus: ille tyrannorum et aliorum cupiditati plus nimio subservivit. At primum in eo imitatus est Thucydidem, quod, cum inchoatum et imperfectum reliquerit opus (nam sicuti Thucydides, septem annos intactos

(15) Dionys. Hal. T. II. p. 131.

(16) Diod. Sic. XIII. 103. Recte igitur Suidas scripsit Philistum de Rebus Siculis XI libros edidisse.

(17) Diod. Sic. XV. 89.

reliquit); tum collationis et dispositionis disturbaverit ordinem; atque rerum confusione historiam difficilem reddiderit. Attamen eum non in omnibus fuisse exilem et contemnendum, testatur idem auctor (18). Neque res alienas suae historiae inserere voluit, sed in uno permansit argumento (19). — Philistum excipit

Athanas (qui *Athanes* et *Athanis* scribitur) Syracusanus, qui res a Dione gestas, ab Olymp. CIV. 3, exorsus, XIII libris conscripsit. Annorum tamen *septem* historiam quam Philistus intactam reliquit, *libro uno* comprehendit; et res capitulatim recensens, διελθὼν τὰς πράξεις ἐν κεφαλαίοις, continuam historiae seriem effecit (20). Eum in Dione utique consulere Nepos debuit. Ubi Philistus desiit, hinc incepere quoque historiae

Timonidis, Leucadii, cuius sicuti Plutarcho ita Nepoti insignis in Dione esse debuit auctoritas. Erat autem Timonides aequalis et familiaris Dionis, cuius rebus ab initio interfuit (21). Scripsisse eas dicitur ad Speusippum, Platonis et consobrinum et discipulum; unde Epistolas eius

---

(18) Dionys. Halic. T. II. p. 70. Cff. de eo *Quinctil.* XI, 1. Cic. L. II. *ad Quinct. fr.* Ep. 13. et omnino Voss. *de Hist. Gr.* p. 25 sq.

(19) Dionys. Hal. T. II. p. 131.

(20) Diod. Sic. XV. 94.

(21) Plut. in *Dion.* p. 193.

ad hunc datas lectas fuisse, suspicari licet (22).

Hi sunt praecipui Siculi illorum temporum, quos Nepos in Dione ante oculos habuit; ex iis enim Philistum certe inspexit, qui, ut iam monuimus, duos libros quinque primis annis Dionysii iunioris dedicavit.

Non hos solum, sed et alios rerum Sicularum scriptores legit. Nam quod primum ad ea attinet, quae de Platonis cum Dione amicitia, de philosophi peregrinatione (secunda) in Siciliam feruntur (cap. III.), petita haec sunt ex ipsius Platonis *Epistola Septima*, τοῖς Δίωνος οἰκείοις τε καὶ ἑταίροις, quâ haec et alia fusius commemorantur ab ipso philosopho.

Legit adhuc *Theopompum*, ut videtur ex eis quae (cap. I.) de Dionysii senioris familia attigit (23); et *Ephorum*, ut coniicere licet ex Plutarcho.

Theopompus autem historiae suae de rebus gestis Philippi tres libros, nempe 41^m^, 42^m^ et 43^m^, qui Res Siculas complectebantur, intexuit. Exorsus a Dionysii maioris dominatu, *quinquaginta annorum tempus recensens*, in exsilio Dionysii

(22) Vid. Heeren, *de font. et auct. Plut.* p. 54. Is *Timonides* idem est qui, nescio quare, *Simonides* apud Voss. *de Hist. Gr.* p. 38. vocatur.

(23) Theopompus, Lib. XXXIX, XL et seq., plura attigerat de Nysaeo, Apollicrate, ut videtur apud Athen. X. p. 435, sq; ubi qui a Nepote *Nisaeus* vocatur, Νυσαῖος scribitur; Νισαῖος legitur ap. Aelian. *V. H.* II. 41; Νησαῖος vero apud Plut. *Timol.* init. et Νυσαῖος in *Var. lect.*

iunioris desiit; teste Diod. Sic. XVI, 71. Notam Wesselingii (ad h. l.), qui de 50 annis etc. dubitat, adscribam: « Haec, » inquit, « vera esse « non poterunt, si Theopompus cum ipso tyran« nidis Dionysianae principio exorsus fuerit: in« cidit ea in annum tertium Olymp. XCIII, a quâ « ad hunc annum (Olymp. CIX. 2.) abierunt « plus sexaginta. Vidit et hoc diligentissimus Jon« sius, de Script. Hist. Philosoph. L. I. 9, 3. « Porro XLI, XLII, XLIII. libri Hist. Philipp. « Theopompi ex Nostri (Diodori) testimonio res « Siculas complectebantur, et tamen ex L. XXI « et XXXIX ac XL talia citat *Athenaeus* L. VI. « p. 261. A. tum L. X. p. 435. F., quae Diony« sium maiorem eiusque familiam praecipue tan« gunt. »

Rem non satis perpendisse mihi videntur summi viri Jonsius et Wesselingius. Diodorus, mea quidem sententia, Olymp. CIX. 2. non intelligit, verum Olymp. CVI. 1, quo anno, ut ipse testatur (24), assentiturque Plutarchus (25), Dionysius iunior a Dione expulsus cum divitiis suis in Italiam recessit. Haec est illa (prima) ἔκπτωσις Διονυσίου τοῦ νεωτέρου. Opinioni meae valde adstipulantur ipsius Diodori verba, Lib. XV. 73, quibus aperte declarat, Dionysium maiorem obiisse, cum

(24) Diod. Sic. XVI. 16, 17.
(25) Plut. *Dion.* p. 195.

triginta octo regnasset annos (26) — ab Olymp. scilicet XCIII. 3, ad Olymp. CIII. 1. — eique filium in principatu succedentem Dionysium, per *duodecim* annos hunc tenuisse, i. e. ab Olymp. CIII. 1. ad CVI. 1. — Habes igitur quinquaginta annos, quos cum Diodoro supputat et Nepos, in Dion. c. V.

Porro, Theopompum praeter libb. 41, 42, 43, etiam in aliis libris Philippicorum res Siculas attigisse, non mirum. Nam, sicuti scripserat Ἑλληνικὰ separatim, et tamen haud exiguum rerum Graecarum partem historiae suae Philippi inseruit, ita, inquam, etsi condiderat Σικελικὰ, etiam interpositis, more solito, episodiis, vasto illi operi res Siculas inserere potuit.

In TIMOLEONTIS vita eosdem Nepotem quos Plutarchus (quo tamen perpetuo brevior est.) secutum esse auctores, cognovi. Quare, si *Lamestium*, cap. V. cum Plutarcho *Laphystium* scribendum iudico, non agam temere, sed potius sycophantae verum reddam nomen. Puto partem literarum *phy* in hac voce olim fuisse exesam, aut certe quodam casu depravatam. Varie enim scriptum legebatur hoc nomen, ut videndum ap. *Heusing.* ad h. l. Nepotis.

---

(26) Cff. Cic. *Nat. Deor.* L. III. cap. 33. et *Tuscul. Quaest.* L. V. c. 20. Valerius Maximus, L. IX. c. 15. Ext. 4.

Sunt autem illi auctores Timaeus, Theopompus et Ephorus. Elogia, quibus Diodorus, Plutarchus et Cornelius Timoleontem cumularunt, maxime ex Timaeo expressa sunt. Hic enim saepius acerbus in alios, nihil tamen libertatis Syracusanae vindicis gloriae et laudibus detraxit; qui quidem professus est Timoleontis operum, si a fratris fatis discesseris, nullum esse, cui non Sophoclis illud merito adclames:

Ὦ Θεοὶ, τὶς ἆρα Κύπρις, ἢ τὶς ἵμερος τοῦ δὲ ξυνήψατο; (27)

Atqui Timaeum supra modum Timoleontem laudasse, quod Andromachus ipsius pater potestate regia ab eo spoliatus non fuisset, tradit Marcellinus (28). Attamen cum nemo veterum, ne Theopompus quidem, qui nemini pepercit, in Timoleonte praeter fratris caedem quid grave reprehenderit, sequitur inde, virum illum egregiis elogiis, quibus eum extulerunt gravissimi historici, fuisse dignissimum. Caeterum « ubi rerum testimonia adsunt, non opus est verbis. »

Tribus hisce auctoribus adiungendus est Athanas, sive Athanes, quem in narratione rerum Timoleontis gestarum (29) consuluisse Nepotem minime dubito.

---

(27) Plut. in *Timol.* Vol. II. p. 142.

(28) In *Vita Thucyd.* p. 5. ed. Duk.: « Τίμαιος δ' ὁ Ταυρομενίτης Τιμολέοντα ὑπερεπήνησε τοῦ μετρίου, καθότι Ἀνδρόμαχον τὸν αὐτοῦ πατέρα οὐ κατέλυσε τῆς μοναρχίας. »

(29) Vide Plut. in *Timol.* p. 129. 144.

XVIII. EUMENES.

Jam pervenimus ad illustrissimum illum Cardianum, qui egregia virtute, raraque fide erga familiam regiam, cuius ad mortem usque unicum fuit praesidium ac dulce decus, multo caeteros Alexandri successores (διαδόχους) antecessit. Scripserunt eius vitam Cornelius Nepos et Plutarchus, quorum uterque fontes quos adiit nos ignorare voluit. Quam ob rem viam in Eumenis vita celeberrimi Heerenii vestigiis notatam ingrediemur, ut, cum de fontibus, tum de fide historica Nepotis, sano cum iudicio disserere possimus. Comparanda scilicet sunt Nepotis de Eumene tradita cum Diodoro, cui nos adiunxisse Plutarchum nemini iniucundum erit. Quibus autem collatis mox apparet eos unos et eosdem fontes adiisse. Belle enim inter se consentiunt (nisi quod Diodoro saepius quidem brevior, nonnumquam vero prolixior sit Nepos), ut exempla afferam: de prudentissimo Eumenis adversus Craterum consilio (1); de fortissima Eumenis cum Neoptolemo

(1) Corn. Nepos, *Eumen.* c. 3. Conf. Plut. in *Eum.* Vol. III. p. 344. De hac re tamen Diodorus (XVIII, 30), nisi

monomachia (2); de perfidia hostium exercitus, qui, cum elabi non posset, atque Eumenis beneficio pacem impetrasset, fidem ei datam non praestitit (3); de Eumenis eiusque sociorum a Macedonibus capitis damnatione (4); de mirificis equorum exercitationibus, etc., quum in castello Nora obsideretur Eumenes (5); de literis Olympiadis ad Eumenem, huiusque ad eam responsis (6); de prudentissimi viri commento, quo fecit ut Macedones omnes quotidie convenirent ad consilia de summis rebus capienda (7); de duabus viis quae ex Medis, ubi Antigonus hie-

---

quod Eumenes cognito adversariorum adventu, copias et in primis equitatum coegerit; qua de re congruit cum utroque biographo. — Deinde, de exitu quem Craterus fecit, paullo diversa a Diodoro, l. c. prodiderunt Nepos, ibid. c. 4. Plut. ibid. p. 345, seq.; et Phot. *Eclog. ex Arrian.* p. 597. edit. Blancard.

(2) Nep. ibid. c. 4. Conf. Diod. eod. lib. c. 31. qui hanc singularem pugnam fusius exponit, ut et Plut. ibid. p. 346.

(3) Nep. ibid. Nihil de hac pacificatione Plutarchus; sed Diod. eod. lib. c. 32. ubi Wesseling. adnotavit Cornelii de hac pace proditis haud dissimilia habere Arrianum apud Phot. p. 221. (p. 607. ed. Blanc.)

(4) Nep. ibid. c. 5. Cff. Diod. lib. eod. c. 37. Plut. ibid. p. 347.

(5) Nep. ibid. c. 5. Cff. Diod. lib. eod. c. 42. Plut. ibid. p. 352. Frontin. *Str.* IV. 7.

(6) Nep. ibid. c. 6. Cff. Diod. lib. eod. c. 58. Plut. ibid. p. 354.

(7) Nep. ibid. c. 7. Cff. Diod. lib. eod. c. 60. Plut. ibid. p. 355. Cornelio uberius hanc rem narrasse Polyaen. *Strategem.* L. V. 8, 2. ostendit Wesseling. ad Diod. l. c.

mabat, ad adversariorum hibernacula ducebant; deque novo Antigoni consilio, quo sperabat se incautum hostem oppressurum (8); de callidissimo stratagemate, quo Antigonum ludit Eumenes (9); de perfidia Macedonum qui Eumenem Antigono tradiderunt (10). Sed in egregii viri morte describenda Diodoro diligentius et operosius versatos esse Nepotem et Plutarchum, iam pridem monuit Wesselingius ad Diodorum, Lib. XIX. c. 44. — Conf. Heerenius in Comment. de fontibus et auctorit. Plut. (in Eumene), p. 71.

Nec tamen ab erroribus prorsus immunis est haec Nostri vita. Lapsus est Nepos, cap. 5. scribens Perdiccam in Aegypto a *Seleuco* et *Antigono* interfectum esse, rerumque summam ad *Antipatrum* delatam fuisse. — A militibus enim, qui Ptolemaeo favebant, occisus est Perdiccas, ut patet ex Iustin. XIV. 4. et ex verbis Diodori L. XVIII. c. 36: « — μετὰ δὲ ταῦτα καὶ τῶν ἱππέων τινὲς συμφρονήσαντες ἐπὶ τὴν σκηνὴν τοῦ Περδίκκου κατήντησαν, καὶ προςπεσόντες ἀθρόοι κατέσφαξαν τὸν Περδίκκαν", ubi Wesseling: « Consentiunt Strabo L. XVII. p. 1144; Pausanias « L. I. 6. cum Kuhnii nota; et Arrian. apud

(8) Nep. ibid. c. 8. cff. Diod. XIX. c. 37. Plut. ibid. p. 357. at breviter.

(9) Nep. ibid. c. 9. cff. Diod. lib. eod. c. 38. Plut. ibid. p. 358.

(10) Nep. ibid. c. 10. cff. Diod. lib. eod. c. 43. Plut. ibid. p. 360. sq.

« Phot. p. 221. Non item Cornelius Nepos in « Eumen. c. 5., qui quidem, cum Perdiccam a « Seleuco et Antigono interfectum fuisse adfir« mat, difficulter fidem prudentioribus faciet." — Porro, quod legitur eod. cap. *rerumque summam ad Antipatrum delatam fuisse*, accuratius scriptum vellem. Namque Perdicca mortuo, Ptolemaeus qui propter multitudinis favorem regum tutelam sibi vindicare potuisset, hoc tamen non expedivit, sed Pithoni nobilissimo duci, atque Arrhidaeo, quorum meritis obstrictus erat, imperium summum conciliavit; quos Macedones consilio eiusdem Ptolemaei libenter regum curatores cum summa potestate crearunt (Diod. XVIII. 36.). At non ita multo post Arrhidaeus et Pithon, quorum studiis impia Eurydice obficiebat et adversabatur, molestia incommoditateque illa offensi, quod et Macedones eius mandata propensius sequerentur, advocata concione, tutela sese abdicarunt; quo facto Macedones *tum demum* Antipatrum curatorem elegerunt cum summa potestate. Diod. Sic. XVIII. 39. et Arrian. apud Phot. p. 221. (edit. Blanc. p. 603.), ut observavit Wesseling. ad Diod. l. l. Denique, quod attinet ad prudentissimum simul et callidissimum consilium Eumenis, quo se ac suos e castello Nora extraxit incolumes, totam hanc rem Nepos brevitati studens nimiae, non accuratius enarrasse videtur, c. 5. extr. Conf. Diodorus L. XVIII. c. 53, et maxime Plut. in Eumen. Vol. III. p. 351. seq. qui haec Diodoro plenius adhoc exposuit.

In his duntaxat offendisse nobis videtur Nepos. Addantur pauca de castello *Nora*, in quod confugit Eumenes. Hoc *locum munitum* appellat Diodor. XVIII. 41. « χωρίον ὀχυρὸν, — ἦν δὲ τὸ Φρούριον τοῦτο παντελῶς μικρὸν, διὰ τὸ τὸν περίβολον ἔχειν μὴ πλείω δυοῖν σταδίων, κατὰ δὲ τὴν ἐρυμνότητα θαυμαστὸν.” — Ad haec Wesseling.: « Phrygiae castellum dicitur a Nepote, c. 5. « Melius a Plutarcho « χωρίον ἐν μεθορίῳ Λυκαονίας καὶ Καππαδοκίας” ” (11) — et ibi quidem in chart. geograph. celeb. D'Anville Noram notatum inveni. Sed ne is quidem de castelli situ levis error Nepoti imputandus est, nam ipse Diodorus alio loco, nempe L. XIX, c. 44. habet περὶ Νῶρα τῆς Φρυγίας.

Jam uberius supra nos ostendisse arbitramur, Nepotem, Diodorum ac Plutarchum non ex diversis auctoribus sua de Eumene sumsisse. Superest, ut videamus, ex quo fonte Diodori de egregio viro tradita dimanarint; quae sit in hac re huius auctoris fides et auctoritas, ut inde cognoscatur quantum ipsi Nepoti credendum sit. Diodori vero fides a quo in Eumenis historia pendeat, haud latet; ab HIERONYMO scilicet Cardiano, Eumenis populari et amico; quod iam docuerunt summi viri *Heyne* et *Heeren*; in commentariis de Diodoro fontibus socer; in commentar. de Plutarchi fontibus gener.

---

(11) PLUTARCH. in *Eumen.* p. 350.

Scripserat Hieronymus τὰς ἱστορίας τῶν διαδόχων, vel τῶν ἐπιγόνων (12); aut potius τῶν διαδόχων καὶ ἐπιγόνων, i. e. historias Alexandri successorum, horumque posterorum, vel historiam sui aevi; nam etiam primus *Antiquitates Romanas* attigit, quamvis breviter, docente Dionys. Halic. (13). Fuit inter legatos, quos Eumenes Norâ ad Antipatrum de pacificatione misit. Idem quem Antigonus, in Asia Antipatri morte divulgata, ad se arcessivit, magnisque invitatum muneribus legationem ad Eumenen obire iussit, qua hortaretur ipsum suum amicum, civemque, ut pugnae in Cappadocia oblitus, amicitiam bellique societatem secum iniret, donaque prioribus longe maiora et ampliorem provinciam acciperet; primus denique esset inter amicos, ac totius instituti particeps. — Non tantum res a familiari aliisque praefectis gestas conscripsit Hieronymus, verum et proeliis interfuit; namque capto et in custodiam tradito Eumene, inter saucios tum etiam ipse captivus fuerat adductus Hieronymus, qui ante semper ab Eumene magno pretio habitus, post eius interitum Antigoni quoque humanitatem fidemque expertus est. Is enim eum benigne tractavit, magnoque in honore habuit, et procuratorem proventus Asphalitidis lacus constituit (14).

(12) Dionys. Halic. *Antiq. Rom.* L. I. c. 6.

(13) Id. ibid.

(14) Vid. Diod. Sic. L. XVIII. c. 42, 53. XIX. 44, 100. Cf. Voss. *de Hist. Gr.* p. 65.

Ex his omnibus facile nobis persuadebimus permagnam in Eumenis rebus Hieronymi, testis oculati, auctoritatem esse; atque plurima, nisi omnia, quae de excellentissimo viro tradidit Nepos, illi esse tribuenda. — Caeterum, in Eumenis vita conscribenda fortasse ante oculos habuit Noster etiam ipsius *Eumenis Epistolas*, quas excitavit Plutarchus (15). — Praeterea, non Hieronymus unus, sed etiam Agatharchides Cnidius (16), Nymphis Heracleotes (17), aliique (18) τὰς τῶν διαδόχων καὶ ἐπιγόνων πράξεις diligenter exsecuti erant.

Egregiis igitur in Eumenis historia exponenda Nepotem instructum fuisse praesidiis, insignemque, in universum, esse eius auctoritatem, neminem infiocias iturum existimamus.

---

(15) Plut. in *Eum.* p. 352.
(16) Vid. Flav. Joseph. *Antiq. Iud.* L. XII. c. 1.
(17) Suid. in voce. Cf. Voss. *de Hist. Gr.* p. 103, 104.
(18) Vid. Voss. *de Hist. Gr.* L. I. c. 2.

XIX. PHOCION.

Scripserunt huius Atheniensis vitam Nepos et Plutarchus, quorum neuter tamen fontes quos adiit in ea nobis ostendit. De remotioribus igitur scriptoribus, qui res fataque infelicis viri consignarunt literis, obscura omnino est quaestio. De auctoritate vero Nepotis in hac vita si rogas, quid dicam? Attentius duo priora capita lege, et videbis alia cum aliis, praesertim quae ad mores viri attinent, fortitar pugnare; deinde, si haec et reliqua cum iis, quae a Diodoro, Plutarcho, et Aeliano passim, de Phocione commemorantur, contuleris, tibi persuasurum esse arbitror, Graecos illos cum Romano nostro in multis toto coeli spatio discrepare. Quo fit ut de singulis fere in hac vita traditis sit disputandum. Quo magno munere cum iam dudum operosius functi sint Lambinus et Heusingerus, huius disputationis cupidum ad eos delegamus. — Mirum equidem Nepotem, quem haud raro veritatis studiosum, accurataeque rerum expositionis diligentem vidimus sese praebuisse auctorem, talem vitam, qualis est ista Phocionis, componere potuisse!

XX. DATAMES.

In huius fortissimi viri enarranda vita quosnam fontes adierit Cornelius Nepos plane in obscuro latet. Excitat, cap. II. Homerum, in re quadam a Datamis historia ac temporibus prorsus aliena. Bina Iliadis respexit loca; primum, Lib. II, vs. 851. ex quo discimus, Pylaemenem olim Paphlagonum ducem fuisse: secundum, Lib. V, vs. 576. seqq. quibus edocemur, eundem Pylaemenen cecidisse confixum a *Menelao*, non vero a *Patroclo*, ut memoriter scripsit Cornelius, cuius id ἁμάρτημα μνημονικὸν primus ostendit *Hier. Magius*, teste Andr. Schotto, ad h. l. Nep. — Antiquo genere, nimirum ab illo Pylaemene, natum fuisse Thyum, quem devicit Datames, narrat Nepos, eod. l. Hic Thyus (aut potius *Thys*, Gr. enim Θῦς) memoratur Theopompo, L. XXXV. Philip. apud Athen. Lib. IV. p. 144. F., nec tamen ex iis, quae ibi de Thyo traduntur, affirmarem Theopompum biographo nostro sua in hac vita suppeditasse. — Praeter Nepotem, retulerunt de Datame quaedam Diodorus Siculus,

Polyaenus ac Frontinus, qui, monente Lambino, de his aliisve inter se sunt discordes, atque praeterea nimis tenuiter Datamis rebus gestis functi sunt.

Jam etsi luberet, minime tamen opus esset interpretum, imprimis vero Lambini, ad hanc Nepotis operis partem commentarios repetere, idque eo imprudentius actum foret, quod ipsi huic de fontibus fideque historica Nepotis disquisitioni parum admodum lucis adferre possent. Haec solum addam. Videtur omnino ex silentio plerorumque, tum Graecorum, tum Romanorum scriptorum, Datames perpaucos invenisse historicos qui res suas memoriae proderent. Quod testatur ipse Nepos his verbis: « Venio nunc « ad fortissimum virum — de quo hoc plura re« feremus, quod obscuriora sunt eius gesta ple« raque.” i. e. quod a paucis eius gesta literis sunt mandata. Verosimillimum est, inter eos principem locum obtinuisse Dinonem, de quo fusius supra; cuique Nepotem se plurimum de Persicis rebus credidisse, monitum est. — Sed latius adhuc patent illa verba; significare enim videntur: « quoniam res Datamis a paucis memoratae, ideoque vulgo minus notae sunt, ob eam caussam de iis diligentius agemus.”

Itaque apud Nepotem de Datamis gestis ac fatis fides esto.

XXI. DE REGIBUS.

De rebus aliquot Regum, quibus in hoc libro locus datur, obiter egit Nepos. Vix opus est moneamus, quoniam multi de Regibus scripserunt, haec aliave de eis a Nepote commemorari; quibus, ob nimiam brevitatem, haud sane proprius suus auctor adsignari potest. Comparabimus ea tamen cum traditis aliorum scriptorum, ut intelligamus, quantum ipsi Cornelio in iis credendum sit. Quo commodius hac disputatiuncula fungamur, Nepotis fere singula, sed quam brevissime poterimus, afferre cogimur. Dicit autem:

Cap. I. « *Cyrus et Darius — uterque privatus, virtute regnum adeptus est.* " Quod omnibus ex Herodoto satis notum est, ut Xenophontem de priore scribentem omittam. — « *Hic* (Cyrus) *apud Massagetas in proelio cecidit.*" Haec, a quibus diversa de Cyri morte traduntur a variis historicis, sumsit Nepos ex Herod. L. I. c. 214. ubi vid. Wesseling.

« *Darium senectute diem obiisse supremum* " testis est Herod. L. VII. c. 4.

« *Mnemon — —, quum matris suae scelere amisisset uxorem, tantum indulsit dolori, ut eum pietas vinceret.*" — Quonam Artaxerxes Mnemon matris Parysatidis scelere amiserit uxorem Statiram, docet Ctesias, Περσικῶν Excerpt. LX. (post Herodot. edit. Sylburg. p. 655.). Dinon vero, apud Plutarch. in Artoxerxe, Vol. V. p. 297, non Parysatidem, verum Melantam cultro, cuius altera pars veneno superillita erat, carnes secuisse, harumque virulentam partem porrexisse Statirae, tradit. Ut ut est, Parysatidis dolo Statiram ingentibus cruciatam doloribus vitam finivisse, dilucide apparet ex tota ipsius Dinonis narratione, cuius haec tantummodo sumam: — « τὴν δὲ Παρύσατιν ὁ Ἀρτοξέρξης ἄλλο μὲν οὐδὲν οὔτε εἶπε κακὸν, οὔτε ἐποίησεν, κ. τ. λ." quibuscum belle congruunt verba Nepotis, quem in tota hac re Dinoni suo praebuisse aures, contendo.

« *Xerxes ab Artabano praefecto ferro interfectus est.*" Artapanum (sive Artabanum) cum Spamitre, eunucho, de Xerxe interficiendo consilium agitasse, idque perpetrasse, tradit Ctesias, Pers. Excerpt. XXIX. (post Herod. edit. Sylb. p. 646.). Rem vero aliter habet Justin. L. III. c. 1. Ex utroque tamen constat Artabani scelere Xerxem interemtum esse. Debere et haec Dinoni Cornelium suspicor.

Cap. II. « *Philippum Macedonem a Pausania occisum esse*," testatur etiam Plutarchus in Alex. Vol. IV. p. 16. et in Demosth. ibid. p. 427. sq.,

ut videtur ex Theopompo; neque mirum. — De ultimis Philippi fatis prolixe egit (fortasse ex eodem auctore) Diod. Sic. L. XVI. inde a cap. 91. ad finem usque libri; et alii plures.

« *Alexander Magnus Babylone morbo consumtus est:* » quod testatur ipsius regis comes *Aristobulus*, apud Plut. in Alex. Vol. IV. p. 97. et apud Arrian. de Expedit. Alex. L. VII. p. 502. edit. Blancard. Eadem Diod. Sic. L. XVII. extr. Confer. *Ephippus*, Olynthius, scriptor Alexandri temporum (1), ap. Athen. L. X. p. 434. A, C.

Ex ipsis autem *Ephemeridibus regiis*, quas scripsisse Eumenem Cardianum et Diodotum Erythraeum auctor est Athenaeus, L. X. p. 434. B., diligens Alexandri morbi exstat repraesentatio ap. Plut. l. c. et Arrian. lib. eod. p. 497. sq. — Non postulandum est, ut hic de scriptoribus rerum Alexandri agam, praesertim cum celeberrimi viri *de Sainte-Croix* et *Heeren*, alter in *Examen critique des anciens historiens d'Alexandre le Grand;* alter in *Comment. de font. et auct. vit. parall. Plutarchi*, iis diligentissimam navaverint operam. Hoc unum addam ad auctoritatem Nepotis de morte Alexandri firmandam, Ptolemaeum Lagi F. et Aristobulum, qui de Alexandro scripserunt, Arriano, prae caeteris fide dignos visos esse, ut declarat ipse in prooemio sui operis.

« *Epirotes Pyrrhus* ——, *quum Argos oppi-*

(1) Vid. Voss. *de Hist. Gr.* p. 464.

dum oppugnaret in Peloponneso, lapide ictus periit." A muliere *tegula* caesum esse tradit Plut. in eius vita, Vol. II. p. 481. Cff. de Pyrrhi morte Ovid. *Ib.* v. 303—305, aliique ibi ab Heinsio, Micylloque allati auctores. Ecce Heusingeri, ad haec Nepotis verba *lapide ictus*, notam: « Alii *tegula* ictum (Pyrrhum) interiisse « scribunt, quod re ipsa non discrepat. Nam et « *tegulae* possunt esse lapideae."

De tribus Dionysii maioris uxoribus, nempe Hermocratis filia, Aristomache, Duride, satis constat. Cf. maxime Plut. in Dion. Vol. V. p. 161. Ad graviora me converto:

« *Dionysius prior et manu fortis et belli peritus fuit, et id quod in tyranno non facile reperitur, minime libidinosus, non luxuriosus, non avarus, nullius rei denique cupidus, nisi singularis perpetuique imperii, ob eamque rem crudelis.*" Atqui, ait Wesseling. ad Diod. Sic. L. XV. c. 74. n. 46: « vinosum fuisse (Diony- « sium) ex Athenaeo, L. X, 10. et Aelian. V. « Histor. L. 41. (leg. L. II. c. 41.) constat." — Unum ambo hos auctores supputo, quod uterque sua ex eodem fonte hauserit. Namque omnes bibaces et vinosos, et sunt admodum multi, quos recenset Aelian. L. II. c. 41. invenies apud Athenaeum, L. X. c. 10, sive inde a pag. 435, E. ad pag. 441 usque. Jam, quod ad Dionysium pertinet, petitum hoc est, ut docet ipse Athenaeus, L. X. p. 435, E. et cum eo Aelian. V. H. L. VI.

c. 12, ex Theopompi Philippic., qui quidem tradit Dionysium τὸν νεώτερον ebrietati indulsisse, non vero τὸν πρεσβύτερον, ut perperam accepisse videtur Wesseling. ad Diod. l. c., et ante eum Scheffer. ad Aelian. V. H. II. 41. — Optime, tum de Dionysii senioris modica vivendi ratione, tum de regno, quod maior quam annos sexaginta natus florens reliquisse dicitur, cum Nepote congruit Cicero, *Tuscul. Quaest.* L. V. c. 20: « Duodequadraginta (2) annos tyrannus Syracu-« sanorum fuit Dionysius (prior), cum quinque « et viginti natus annos dominatum occupasset. « Qua pulchritudine urbem, quibus autem opibus « praeditam (2), servitute oppressam tenuit civi-« tatem? Atqui de hoc homine *a bonis auctori-« bus* sic scriptum accepimus, summam fuisse eius « in victu temperantiam, in rebus gerendis vi-« rum acrem, et industrium, eundem tamen ma-« leficum natura, et iniustum," caet. Quam ob rem fuerit iniustus crudelisque Dionysius docent, cum Nepote, Cicero, l. l. paullo inferius, et Plut. in Dion. p. 166, seq. Vidèsne igitur Nepotis de Dionysio priore insignem esse fidem! De *auctoribus* vero si quaeris, sunt hi Philistus, Athanes, Theopompus et Timaeus, de quibus copiose egimus in Dione.

---

(2) Haud aliter idem Cic. *Nat. Deor.* L. III. c. 33. « *Duodequadraginta* Dionysius tyrannus annos fuit *opulen-« tissimae et beatissimae civitatis.*"

Cap. III. « *Antigonum in proelio adversus Lysimachum* (telis obrutum) *cecidisse*," cum Nostro tradit quoque Plutarchus, in Demetr. Vol. V. p. 36.

– « *Demetrius, quum filiam suam Seleuco in matrimonium dedisset, neque eo magis fida inter eos amicitia manere potuisset, captus bello in custodia socer generi periit morbo.*" Demetrii filiam Stratonicen Seleuco nuptam fuisse, refert etiam Plutarch. in Demetr. p. 38., qui adhoc congruit cum Nostro de dissensione socerum inter et generum, ibid. p. 59., ut et de huius morte in custodia, p. 63. At Demetrium *captum bello* fuisse, negat Plutarchus, siquidem affirmat *illum* re male gesta primum fugae se mandasse, deinde vero, urgentibus amicis, salutem suam Seleuco permisisse. Haec, sed plenius, Plut. in Demetr. p. 60. quocum consentit Justin. L. XVI. c. 2. Nostrum lapsum esse, mihi persuadeo. De fontibus Plutarchi in Demetrii vita consul. Heeren. p. 73, sqq.

Denique: « *Ptolemaeus, quum vivus filio regnum tradidisset, ab illo eodem vita privatus dicitur*," Nescio a quo scriptore. Videtur, ut iam observavit Bosius, varia variorum Ptalemaeorum facta confudisse Cornelius. Heusingeri ad h. l. adnotationem utique apponendam hic existimo. — (*Ipse autem Ptolemaeus*). « Ptolemaeum « Lagi, non Ceraunum, intelligendum esse, facile « apparet: quod Ceraunus nec filio regnum tra-

« didit, nec a filio, sed a Gallis interemtus est.
« Etsi vero de hoc mortis genere nihil ab aliis,
« qui supersunt, traditum est; Nepos tamen aut
« dissentientis a ceteris scriptoribus auctoris ali-
« cuius fidem secutus esse, aut ad avum transtu-
« lisse credendus est, quod nepoti, Evergetae,
« accidit, qui a filio, Philopatore, trucidatus est.
« Vid. Justin. XVI. 2. 7. XXIV. 5. 6. XXIX. 1. 5."

TERTIA CLASSIS.

CARTHAGINIENSES AC ROMANI.

XXII. HAMILCAR.

Venimus nunc ad illustrissimum, fortissimumque Hamilcarem, cuius res cum in Africa, tum in Europa gestas, breviter prodidit Nepos. Huius in componenda vita unicum fere adiit fontem, nempe Polybium. Sed praestat hoc exemplis ostendere, res Hamilcaris praecipuas, quam brevissime tamen potero, recensendo.

Hamilcar Barcas extremis belli Punici primi temporibus in Sicilia Carthaginiensium exercitui praefuit (1). Erycen oppidum quam optime defendit (per totum biennium) (2). Sed interim Car-

(1) C. Nepos in *Hamilc.* c. 1. Polyb. ed. Casaub. 1619. L. 1. p. 57, B. ἔτος δὲ ἦν ὀκτωκαιδέκατον τῷ πολέμῳ.

(2) Vid. Nep. ibid. Cf. Polyb. L. I. p. 59. III. p. 165, D.

thaginienses (duce Hannone), apud Aegates insulas a C. Lutatio Catulo cons. victi (3), bellum componere statuerunt, eamque rem arbitrio permiserunt Hamilcaris (4), qui, etsi flagrabat bellandi cupidine, tamen paci serviendum existimavit, quod patriam exhaustam sumtibus, diutius calamitates belli ferre non posse intelligebat (5).

Sed exemplum Hamilcaris pertinaciae erga Lutatium Catulum, quocum Caput primum finit Nepos, nullibi reperi. Quoniam tamen Hamilcaris indoli moribusque non repugnat, non in dubium vocandum videtur. Id fortasse sumsit Noster ex Catone, qui libro quarto Historiarum (de quibus infra) bellum Punicum primum exposuerat, quique de Hamilcare plura prodere debuit, siquidem eum magni faciebat, ut patet ex ipsius Catonis vita a Plutarcho conscripta.

Capite II. brevissime attigit intestinum bellum, quod interim a mercenariis conflatum est tantum, ut Carthaginis salus maximum in periculum discrimenque vocata sit.

---

(3) Vid. Nep. ibid. Cf. Polyb. L. I. p. 61, sq.

(4) Vid. Nep. ibid. Cf. Polyb. L. I. p. 63, A.

(5) Vid. Nep. ibid. Cf. Polyb. L. I. p. 63, B, C. Aliam ob caussam, scilicet quod Hamilcaris milites, exhaustis viribus, et victi malis Erycen diutius defendere non valuissent, ipsum Hamilcarem a Romanis pacem petiisse, praedicaverat nugator Fabius Pictor, quem hoc mentitum esse ostendit Polyb. L. I. p. 59, C. qui pacis istius conditiones dat p. 63, 64. Haec omnia exposuerat Livius, Lib. XIX. ut liquet ex huius libri Epitome.

Quae de hoc bello, atque de Hamilcaris virtute in eo componendo narrat Nepos, omnia sumsit ex Polybio, qui iisdem longe immoratur, inde a pagina 65 usque ad finem libri primi. De re una tantum disputandum censeo, quam viri docti quos consulere mihi licuit, Nostrum sive obscure, sive parum accurate tradidisse, putant. Res haec est:

Affirmat Nepos hoc mercenario bello Poenos eo redactos fuisse *ut auxilia etiam a Romanis petierint, eaque impetrarint.* Multum sane interest, tradideritne hic Cornelius falsa an vera. Lambinus dubitat; Heusingerus verba *eaque impetrarint* nec vera fortasse, nec ab auctore profecta esse, censet, additque ea certe esse omissa in Cod. Ultraiect., nec impetratorum a Romanis auxiliorum ullum scriptorem alium mentionem facere. — Sed videamus.

Res Carthaginiensium, hocce intestino bello, iam in pessimum locum erant redactae, quod pene omnia amiserant, et maxime quod commeatus, qui ex Emporiis (id loci apud Afros nomen) advehebantur, in quibus spes ferme omnes suas collocaverant, cum de alimentis, tum de aliis exercitui necessariis, oborta in mari tempestate perierant (6). — Omnibus malis pressi ad socias civitates confugere cogebantur (7). — — Sed

(6) Polyb. L. I. p. 83, A.
(7) Polyb. L. I. p. 84, A.

ipsi Romani foederis leges servantes opem eis non detrectarunt (8); — prompto vero alacrique animo omnia illis suppeditarunt, quae postulassent; idcirco etiam mercatoribus suis facta potestate, ut ad Carthaginienses necessaria exportarent, ne ad eorumdem inimicos accederent, vetuerunt (9). Jam his, ex Polybio sumtis, clarum est Carthaginienses auxilia, i. e. alimenta saltem, et adiumenta leniminaque malorum a Romanis petiisse, eaque impetrasse. Et ex Appiano, de Bell. Pun. p. 3, D. liquet, Carthaginienses non commeatus tantum, sed et copias auxiliares a Romanis petiisse, atque obtinuisse saltem, ut Italos milites mercede conducerent. Ita Appianus: „Οἱ δὲ (Καρχηδόνιοι) Ῥωμαίους ἐς συμμαχίαν ὡς φίλους ἐκάλουν. καὶ αὐτοὺς οἱ Ῥωμαῖοι ξενολογεῖν ἐς μόνον τόνδε τὸν πόλεμον ἀπὸ τῆς Ἰταλίας ἔφηκαν· ἀπείρητο γὰρ ἐν ταῖς σπονδαῖς καὶ τόδε," κ. τ. λ. Nonne his omnibus dilucide apparet, Romanos gravissimis calamitatibus tunc afflictos Poenos nulla deseruisse in re, sed pro viribus ac facultatibus iis opitulatos esse; adeo quidem ut etiam iis, praeter foederis conditiones, milites in Italia conscribendi fecerint potestatem; nam si Romani partem suarum copiarum ad eos non miserunt, caussa, procul dubio, inde repetenda est, quod ipsi bello civili cum Faliscis erant oc-

(8) Polyb. L. I. p. 84. B.
(9) Polyb. Ibid.

cupati (10). — Carthaginienses igitur, ut ait Polybius (11), παρὰ τῶν προειρημένων φίλων ἐπιχορηγοῦντες ἐπικουρίας obsidionem tolerabant.

Bello Libyco feliciter perempto, totique Africae reddito, Hamilcar imperator cum exercitu in Hispaniam missus est, eoque secum duxit filium Hannibalem annorum novem (12), et praeterea spectatum iuvenem Hasdrubalem; quem ab eo nonnulli diligi turpius quam decebat loquebantur. — De turpissimo eo amore apud Polybium nihil reperi; ex Livio, L. XXI. c. 2. tamen patet, plures tale quid commemorasse. Sed cum gravissima obiecerit Hasdrubali vitia Fabius (13) ille perpetuus Carthaginiensium obtrectator et calumniator, eum etiam hoc de Hamilcare commento fabulas suas adornasse haud mirer! Prudenter equidem observat Nepos, tanto viro maledicos deesse non potuisse. Nec erat is Nepos qui Pictori multum crederet.

Hamilcar autem in Hispania maximas bellicosissimasque gentes superavit (14); sed tandem in proelio (adversus Vettones) fortiter pugnans occisus est, nono anno postquam in Hispaniam

---

(10) Vid. Polyb. L. I. p. 65.
(11) Polyb. L. I. p. 84, D.
(12) Nep. c. 3. Polyb. L. II. init. L. III. p. 167. Livius, L. XXI. init.
(13) Ap. Polyb. L. III. p. 164.
(14) Nep. c. 4. Cf. Polyb. L. II. init.

transierat (15). Huic successit in imperio Hasdrubal, cui filiam suam in matrimonium dederat (16). Hasdrubal res magnas gessit, plura tamen consilio quam vi perfecit (17). Hoc quoque (octavo post anno) occiso, summam imperii ab exercitu accepit Hamilcaris filius,

---

(15) Nep. c. 4. Cff. Polyb. ibid. Liv. L. XXI. c. 2. Appian. Ἰβηρικῇ p. 258, A.

(16) Nep. c. 3. Cff. Polyb. L. II. p. 91, A. L. III. p. 167, D, sq. Liv. l. c. Appian. l. c.

(17) Vid. Nep. c. 3. Polyb. L. II. p. 101. imprimis p. 123. Liv. l. c.

XXIII. HANNIBAL.

Nepotis de Hannibale tradita conferenda sunt maxime cum iis, quae de eo commemorant Polybius, Livius, Appianus.

Primum locum merito occupat Megalopolitanus ille, qui iam annum vicesimum tertium ingressus erat, cum Hannibal moriretur, quique multa de Rebus Punicis ab oculatis testibus accepit. Viri doctrinam, probitatem, prudentiam, mendacii odium, veritatis studium, dilaudat optimus quisque veterum. Eius fidem adeo probavit Livius, ut crebras eius operis partes pene ad verbum in patrium verteret sermonem. Eo magis cum Nostro conferendus est Livius, quod maxima pars Polybii operis temporum iniuria periit.

Non temere ei adiungemus Appianum, quem egregium historicum fuisse pronunciarunt docti plures (1). Quid de eo sentiat Wyttenba-

(1) In primis V. Cl. SCHWEIGHAEUSER, cuius *Exercitationes in Appiani Alexandrini Romanas historias* me nondum habere doleo.

chius (2) breviter exponam. « Equidem adhuc « de Appiano ita censeo, ut eum optimis Histo- « ricis veluti Thucydidi, Livio et similibus nec « adiungendum nec longe postponendum iudi- « cem. — Eius Historiam e certis monumentis et « Auctoribus idoneis petitam esse, dubitare nos « non sinit cum reliqua Appiani doctrina, tum « dignitas, et vitae actio Romae in publicis mu- « neribus versatae.” etc.

Deinde, ubi opus erit, ac fieri poterit, confugiemus ad Diodori Siculi, Iustini, Zonarae, aliorumque opem.

Denique, ut suscepto labore commodius fungamur, de rebus Hannibalis ad temporum ordinem disseremus, incipientes ab eo tempore, quo primum dux exercitus creatus est.

Hamilcare mortuo, Hasdrubali Hispaniam regendam Carthaginienses tradiderunt; hoc quoque interfecto, exercitus summam imperii Hannibali detulit, quod et a Carthaginiensibus publice fuit comprobatum (3). Hic Hispaniae gentes subegit, Saguntum vi expugnavit, tres exercitus comparavit, ex quibus unum in Africam misit, alterum cum Hasdrubale fratre in

(2) D. Wyttenb. *Bibl. Crit.* Vol. III. Part. IX. p. 93, 94.

(3) Nep. *Hamilc.* c. 4. *Hannib.* c. 3. Polyb. L. II. p. 123, C, D. L. III. p. 168, C. Appian. Ἀννιβαική. p. 314. Ἰβηρ. p. 359, A. Diod. Sic. *Eclog.* 5. ex Lib. XXV. Tom. II. p. 512. — Hannibalem tum annos 27 nondum fuisse natum constat. Sed minus accurate legitur apud Nepotem *quinque et viginti.* Ipse forte scripserat XXVII.

Hispania reliquit, tertium in Italiam perduxit (4). Saltum Pyrenaeum transiit (5); sed non « *quacunque iter fecit, cum omnibus incolis conflixit*, quod vult Nepos, verum Gallorum alios vi subegit, alios metu aut pretio pacavit, ut affirmat Livius, L. XXI. c. 26. cum Polyb. L. III. p. 195, B. item Appian. Ἀννιβαική. p. 315, C., ut videtur, ex eodem fonte.

Prius ad Alpes (6) quam pervenerat Hannibal, conflixisse eum apud Rhodanum cum P. Cornelio Scipione, huncque pepulisse, affirmat Nepos, semel et iterum (7). Fictum hoc proelium diceres ex Polybio, Livioque. Hi enim narrant, P. C. Scipionem cons. *triduo* postquam Hannibal a Rhodani ripa moverat eo pervenisse, at ubi deserta munimenta, nec facile se tantum progressos assecuturum vidit, ad mare rediisse, quo hostes anteverteret, et deinde per Etruriam tutius faciliusque ita descendenti ab Alpibus Hannibali occurreret (8). — Ex quibus manifestum foret, P. Cornelium ad Rhodanum Hannibalem non vidisse, nedum cum eo manum conseruisse. Quid? quod ipsi Polybius et Livius

---

(4) Nep. *Hannib.* c. 3. Polyb. L. III. p. 168, 187. Cff. Appian. l. c. p. 315. Justin. L. XLIV. c. ult.

(5) Nep. ibid. Polyb. ibid. p. 195, A. Appian. l. c.

(6) Iis quae de Alpium transitu, de Hercule Graio, etc. dicenda habemus, infra magis idoneus erit locus.

(7) Nep. ibid. c. 4 et 6.

(8) Liv. L. XXI. ex Polyb. L. III. p. 202.

plane adserunt apud Ticinum primum Scipionis cum Hannibale proelium fuisse, nec unquam antea eius hostis (Hannibalis) factum periculum (9). Attamen, cave primo obtutu credas Nepotem illud proelium finxisse. Non enim ille unus mentionem eius facit, sed et Zonaras, diligens auctor, cuius fides haud spernenda est. Vidit hoc prius Vir doct. U. Becker (10), cuius verba p. 56. n. 6. utique hic pertinentia rescribam: « In Bezug auf Hannibals Rhonenüber« gang ist die Stelle bei Zonaras VIII. 23. sehr « wichtig: μεχρὶ μὲν τοῦ ποταμοῦ 'Ροδανοῦ οὐδεὶς « εἰς χεῖρας ἧκεν αὐτῷ. 'Εκεῖ δ' ὁ Σκιπίων ἐπεφάνη, « καίπερ μὴ παρούσης αὐτῷ τῆς δυνάμεως, ὅμως με« τὰ τῶν ἐπιχωρίων καὶ τῶν αὐτοῖς προςοίκων τά τε « πλοῖα τὰ ἐν τῷ ποταμῷ προδιέφθειρε, καὶ τὸ ῥεῦμα « αὐτοῦ διὰ φυλακῆς ἐποιήσατο. 'Ο οὖν 'Αννίβας ἔτριψε « μὲν τινὰ χρόνον, καὶ σχεδίας, καὶ σκάφη, ἄλλα τε « καὶ μονόξυλα κατασκευάζων. ῎Εφθη δ' οὖν ὑπὸ « πολυχειρίας τὰ πρὸς παραίωσιν ἀναγκαῖα πάντα, « πρὶν τῷ Σκιπίωνι τὸ οἰκεῖον ἀφίκεσθαι στράτευμα « etc. So kämpfte also Hannibal dort mit dem « Scipio selbst, was auch Cornelius Nepos sagt," etc.

Iam quis horum historicorum a recto tramite

(9) Liv. XXI, 39, 47. cum Polyb. III. p. 216, C.

(10) *Vorarbeiten zu einer Geschichte des zweiten punischen Krieges*, von U. Becker, *Dr.* etc. in *Dahlmans Forschungen auf dem Gebiete der Geschichte*. II. Band. 2e Abth. Altona, 1823.

aberravit? Neminem hoc aenigma facile divinaturum puto.

Aliud quid, minoris tamen momenti, observandum est de proelio, quo primum cum Romano contendisse Poenum, perhibent Polybius et Livius. Hi ad Ticinum fuisse commissum ferunt (11); Nepos apud Padum. Utrumque recte, ut opinor: namque ex illis satis patet ipsum proelium ad Ticinum, iuxta Padum, sive haud longissime ab eo loco quo Ticinus in Padum effunditur, gestum esse. Quem locum ei adsignare Florus videtur, Lib. II. c. 6. 10. « *inter Padum et Ticinum.*" — Exstat de huius pugnae loco proprius libellus *Battaglia del Ticino*, etc., qui tamen nondum ad me pervenit (12). — Caeterum de *Clastidio* disputare su-

(11) Vid. Polyb. III. p. 216—219. Liv. XXI. 46.

(12) Eius libelli mentio fit in opere gallico *Revue Encyclopédique* 82e Cah. (Oct. 1825) 28e vol. 8e de 2e série, p. 186. « *Battaglia del Ticino.*" etc. « Bataille du Tésin « entre Annibal et Scipion, ou découverte du camp de « P. C. Scipion, des vestiges du pont sur le Tésin, du « lieu de la bataille, et des tombeaux des Romains et des « Gaulois qni y moururent; par le professeur *G. B. Giani.* « Milan. 1824. 8vo. — On avait plusieurs fois disputé p ur « déterminer l'endroit où Annibal passa le Tésin, et où « il attaqua Scipion. La plupart des érudits avaient sou« tenu que ce passage et ce combat avaient eu lieu non loin « de Pavie. Cette opinion a été dernièrement adoptée par « le général Guillaume et par MM. Rogniat et de Luc. « L'auteur du mémoire annoncé croit prouver que le pas« sage d'Annibal fut exécuté près de Sexto-Calende, où

persedeo, nam ex glossa aliqua esse attractum satis convenit inter viros dictos.

Sequitur proelium apud Trebiam quo Hannibal Tib. Sempronium Longum profligavit. Scipionem ipsum hic quoque profligatum tradit Nepos. Quod haud sane certum esse, observatum video a pluribus. Et revera lectis Polyb. III. p. 222, sq. Liv. XXI. 48, 52—57. crederes Publium huic proelio non interfuisse. Tiberium enim, dicunt, quum Scipionem ex gravi vulnere, quod ad Ticinum acceperat, nondum recreatum videret, ambitione, nimiaque sui fiducia excaecatum, pro se ipso dimicandi occasionem praetermittere noluisse, neque collegae sententiae prudentisque consilii, neque temporum ulla habita ratione, proelium commisisse, atque gravissimam cladem accepisse. — Sed non attenderunt ad alium ipsius Polybii locum, Lib. XV. p. 699, D. quo Hannibal pugnam apud Zamam adversus iuniorem Scipionem commissurus, ante omnia a suis postulat ut sibi ob oculos ponant praeter tot certamina *τήν τε περὶ Τρεβίαν ποταμὸν μαχὴν πρὸς τὸν πατέρα τοῦ νυν ἡγουμένου Ῥωμαίων.* Et Appian. Ἀννιβαική, p. 317, D. affirmat Scipionem hoc ipso proelio apud Trebiam *fere occisum fuisse.* Non est igitur cur in hac re Nepoti fidem abnegemus.

Jam inde, i. e. hac pugna apud Trebiam pug-

« le Tésin sort du Verbano ; et que le combat eut lieu
« dans le territoire de Galliate.” etc.

nata, Hannibalem per Ligures Appenninum transiisse, dicit Nepos. At non statim inde, si Livio fides habetur. Hoc enim teste, iterum cum Hannibale conflixit Sempronius apud Placentiam, ac superatus est. « Pugna raro ulla magis saeva, et cum utriusque partis pernicie clarior, si extendi eam dies in longum spatium sivisset. — Maior Romanis, quam pro numero, iactura fuit," caet. Liv. XXI. 59. Sed de industria Noster, brevitati studens, istam pugnam omisit (13), « secundum quam (tum demum) Hannibal in Ligures concessit," petens Etruriam. Hoc itinere per Etruriae paludes difficillimo Hannibalem adeo gravi morbo affectum esse oculorum, ut altero caperetur, vel saltem postea numquam eo aeque bene usus sit, tradiderunt plures cum Nostro (14), qui tamen *dextrum* fuisse addit.

Consentit praeterea Nepos cum gravissimis quos cum eo conferre soleo ac debeo historicis, de nobilissima pugna apud lacum Trasimenum, qua C. Flaminium consul. cum exercitu circumventum occidit Poenus (15); ut et, non multo post, C. Centenium, iussu consulis Servilii cum de-

(13) « Longum esse enumerare proelia," dicit ipse Nepos in *Hannib.* cap. 5.

(14) Nep. ibid. c. 4. Polyb. III. p. 231. Coelius Antip. ap. *Cicer. Divinat.* L. I. c. 24. Liv. XXII. 2, et alii. Conf. G. Groen van Prinsterer, *Disput. de L. Coelio Antip.* etc. (proemio ornata), p. 65.

(15) Nep. l. c. Polyb. III. p. 233, 235. quem secutus est Liv. XXII. 4, 6. Cf. Appian. 'Αννιβ. p. 319.

lecta manu saltus occupantem (16). A Livio hunc *Centronium* appellari monet Lambinus, cui facilius credidit Ith. Ego vero in una, quam nunc habeo, editione, Ruddimanniana scilicet, *Centenium* invenio. Recte, namque ita cum Nepote Κεντήνιον eum appellant Polybius et Appianus. Sed a Nostro in hoc paullum discrepat Livius, quod Centenium non *praetorem*, verum *propraetorem* vocat; eundemque tunc honores non gessisse, sed manui cui deerat idoneus dux praefectum esse, ostendet Appian. p. 318, D., unde apparet Centenium non praetorem fuisse factum, sed *propraetorem*. Codicem Ernstianum plane *propraetorem* habere, hancque lectionem avide amplexum esse Bosium, docet Heusingerus, qui tamen vulgatam tuetur, additque « *praetores* saepe dici a Romanis, qui fuerunt *propraetores*; itaque libris potius parendum. » — Quae si valent de propraetoribus, valent etiam de proconsulibus prodictatoribusque (17). Jam, Romanos Q. Fabium Max. creasse *dictatorem*, scripsit Nepos cum Polyb. III. p. 238, C., scripseruntque multi alii, Coelius, Silius Ital., Plutarchus, Appianus, Zonaras. Insignis super hac re locus est

(16) Nep. l. c. Polyb. III. p. 237. Liv. XXII. 8. Cf. Appian. l. c.

(17) Spectant haec ad Nepotem qui Centenium *praetorem* (c. 4.), Fabium *dictatorem* (c. 5.), Semp. Gracchum *consulem* (ibid.) vocat, quum revera prior *propraetor*, alter *prodictator*, tertiusque *proconsul* fuerit.

apud Livium, XXII, 31: « *Omnium prope an-* « *nales* Fabium dictatorem adversus Hannibalem « rem gessisse tradunt. Sed et Coelium et caete- « ros fugit, uni Consuli Cn. Servilio, qui tum « procul in Gallia provincia aberat, ius fuisse « dicendi dictatoris (18): quam moram quia « exspectare territa iam clade civitas non pote- « rat, eo decursum esse, ut a populo crearetur, « qui pro dictatore esset: res inde gestas, gloriam- « que insignem ducis, et augentes titulos imaginis « posteros, ut qui *pro dictatore* (esset); *dicta-* « *tor* diceretur, facile obtinuisse." — Atqui Livius ipse Q. Fabium Maximum plus semel dictatorem appellat (19). Itaque mos invaluit ut qui prodictator fuisset, dictator diceretur; item qui proconsul, consul, qui propraetor, praetor, ut de posteriori recte observasse Heusingerum vidimus.

Sed de simili re, ad M. Minucium Rufum pertinente, ut ordine disseram, ad Livium revertor. Superioribus haud dissimilia scripserat Lib. XXII. c. 8: « quia consul aberat, a quo uno dici (dic- « tator) posse videbatur, — nec dictatorem po- « pulus creare poterat, quod nunquam ante eam

---

(18) « Locuples autem hac in re testis Plutarchus, qui « in Marcello cap. 24. tradit ius dicendi dictatoris non nisi « apud Consulem Praetoremve fuisse." — Quod et ipsius Plutarchi verbis ostendit Groenius, *Disputat. de L. Coelio Antip.* p. 49.

(19) Veluti L. XXII. c. 9. « Q. Fabius Maximus dicta- « tor iterum," et capp. 12. 53.

« diem factum erat, prodictatorem populus crea-
« vit Q. Fabium Maximum, et magistrum equi-
« tum M. Minucium Rufum," — *pari ac dictatorem imperio*, addit Nepos, c. 5, ut suspicari licet, ex Polyb. III. p. 253, B, C. Τὸν δὲ Μάρκον —, ὥστε τότε γίνεσθαι τὸ μηδέποτε γεγονὸς, αὐτοκράτορα γὰρ κἀκεῖνον κατέστησαν. — καὶ δὴ δύο Δικτάτωρες ἐγεγόνεισαν ἐπὶ τὰς αὐτὰς πράξεις, ὃ πρότερον οὐδέποτε συνεβεβήκει παρὰ Ῥωμαίοις (20). Hunc quoque secutus esse mihi videtur Appianus, Ἀννιβ. p. 320, E. καὶ ἡ βουλὴ — ἴσον ἰσχύειν αὐτῷ (Φαβίῳ) τὸν ἵππαρχον ἀπέφηνε. Talem exaequationem locum habuisse liquet etiam ex Liv. L. XXII. c. 27.

Ex his autem et ex aliis historicis, quos excitare supervacaneum est, item ex Fastis, certum est, populum Romanum Q. Fabium Maximum et M. Minucium Rufum, hunc magistrum equitum, prodictatorem illum creavisse, an. U. C. 537, Cn. Servilio Gemino, C. Flaminio Coss. prius igitur quam C. Ter. Varro et L. Paullus Aemilius consulatum obtinuerint, pugnaque Cannensis committeretur. Nepos e contrario in his a temporum ratione discedit, ob eumque gravem παραχρονισμὸν, quo rerum seriem atque ordinem turbat, reprehensionem commeruit; nisi haec posterioribus temporibus transposita fuerint, quod facile mihi persuaderetur.

---

(20) Idem dixisse Livium modo vidimus.

Ut ut est, nos temporum ordine servato de rebus Hannibalicis quaerere pergamus. Referunt et alii cum Nostro callidissimum inventum, quo Fabium fefellit Hannibal, seque ac suos ex locorum angustiis incolumes extraxit (21); M. Minucii Rufi temerariam pugnam cum Hannibale, qui eum fudit (22); memorabile apud Cannas proelium, quo Romani maximam calamitatem acceperunt, quoque Paullus Aemilius, Varronis collega, cecidit, et Cn. Servilius Geminus consularis (23), — praeterea M. Minucius Rufus, qui magister equitum priore fuerat anno —. *Hac pugna pugnata*, ait Nepos, *Romam profectus est Hannibal, nullo resistente.* — Sed non statim post hanc pugnam, testibus Polybio et Livio. Prior enim horum tradit, Lib. III. extr. Carthaginienses parta hac victoria subinde omnem fere Italiae partem, quae Vetus et Magna Graecia vocatur, obtinuisse, eosque Arpinates et nonnullos Campanos ultro ad se vocasse, etc. Posterioris verba breviter afferam: « Hannibal post Can« nensem pugnam confestim ex Apulia in Sam« nium moverat, arcitus in Hirpinos. — *Inde* « per agrum Campanum mare inferum petit, op-

(21) Nep. c. 5. Polyb. III. p. 243, sq. Liv. XXII, 16, 17. Appian. 'Αννιβ. p. 321.

(22) Nep. ibid. Polyb. III. p. 254. Liv. XXII. 28. Appian. 'Αννιβ. p. 321.

(23) Nep. c. 4. Polyb. III. p. 263—267. Liv. XXII. 44—50. Appian. 'Αννιβ. p. 323—328.

« pugnaturus Neapolim. — Ab urbe oppugnanda « Poenum absterruere conspecta moenia, haud- « quaquam prompta oppugnanti. Inde Capuam « flectit iter." Liv. XXIII. 1. 2.

Uterque tamen tradit, postea Hannibalem, cum Capuae a Romanis obsidionem solvere frustra conaretur, inde discedentem ipsam Romam infesto exercitu petivisse (24). Videtur igitur Nepos hac in re brevitate tantum peccasse. Hoc tamen ei non ignoscendum (si revera ita ab eo profectum), quod post proelium Cannense Hannibali Fabium et Minucium opponit: hunc enim eo proelio cecidisse, atque fere omnia, quae cap. 5. exponuntur, non suo referri loco, iam monuimus.

Sed cum Nostro saltu dato accedimus ad an. U. C. 541, quo Tib. Sempronium Gracchum in Lucanis absens (per fratrem Magonem) in insidias inductum sustulit Hannibal (25), et ad an-

(24) Vid. Polyb. L. IX. p. 542, 544. et in primis L. XV. p. 695, C. Liv. XXVI. 7, sq. — Hannibalem, cum tot cladibus affecisset hostes, Romam contendisse, tradiderunt omnes fortasse illorum temporum scriptores. Sed, ni fallor, simulavit tantum callidissimus Poenus, se Romam oppugnaturum; scilicet ut hostes Capuam valentissimum oppidum obsidentes ab incepto traheret et ipse, dum Urbem defensum festinarent, hoc commento Capua potiretur. — Caeterum consul. de hac re summus De Montesquieu, in egregio libro *Grandeur et Décadence des Romains:* c. 4. Cf. Groen, *Disp. de Coelio* etc. p. 42, sq.

(25) Nep. c. 5. Liv. XXV. 16. « *Haec vera fama est.*" Varias enim fuisse de Tib. Sempronii Gracchi morte ac

num 546. quo Marcus Claudius Marcellus V. Cos. apud Venusiam pari modo interfectus est (26). Referatur etiam hic loci proelium anno sequente, C. Claudio Nerone, M. Livio Salinatore II. Coss., apud Senam gestum, quoque cecidit Hasdrubal frater Hannibalis, etsi alibi eius mentionem facit Nepos, nempe in Catonis vita (27). Sumpsisse hanc rem videtur ex Originibus Catonis, qui isti proelio haud sine gloria interfuit. Ipsum autem Catonem non solum rerum a se gestarum fuisse scriptorem, sed et totum bellum Punicum secundum enarrasse in Lib. V. Historiarum, seu Originum, dilucidius apparebit infra.

Porro, quae de Hannibale invicto (28) a Carthaginiensibus patriam adversus Scipionem defensum revocato, de colloquio eius cum Romano, de proelio apud Zamam, de velocissimo quo Ha-

---

funere sententias, testis est idem Livius, lib. c. cap. 17. — Consentit de Gracchi interitu Appian. 'Αννιβ. p. 333, sq.

(26) Nep. l. c. Polyb. X. p. 602, sq. Plut. in *Marcello* Vol. II. p. 274. ut videtur ex Livio XXVII. c. 22, 26 et 27, quod ultimum caput vide, nam plures de Marcelli ultimis fatis scripserunt: « Ceterum," ait Livius, « ita fa« ma variat, ut tamen plerique loci speculandi causa cas« tris egressum (Marcellum); *omnes* insidiis circumven« tum tradant." — Itaque vere scripsit Nepos Marcellum pari modo ac Tib. Sempronium Gracchum interfectum esse. Cf. adhuc App. l. c. p. 342.

(27) Nep. in *Cat.* c. 1. Polyb. XI. p. 622—625. Liv. XXVII. 49. App. l. c. p. 343. et alii plures: omnes forte ex ipso Catone.

(28) Vid. nos infra in fragm. Cap. IX. N°. 7.

drumetum pervenit itinere, de acerrimo in exercitu apparendo studio, deque pace deinde Poenos inter et Romanos facta; i. e. totum caput 6. (nisi quod de pugna apud Rhodanum repetitur) et initium capitis 7. breviter exhibuit Nepos ex Polyb. XV. p. 690-707; quae res Livii totum fere lib. XXX occupant. Conf. Appian. Λιβυκὴ καὶ Καρχηδονικὴ p. 18-36. Ab hoc tamen nonnulla referuntur quae apud alios scriptores vel aliter exponuntur, vel omnino reticentur: pertinet inter haec singulare certamen inter Hannibalem et Scipionem, pag. 24. Quod autem non omittendum nobis, de celerrimo Hannibalis post pugnam apud Zamam itinere, etc. ita cum Nepote conspirat Appianus, ut statim menti incidat cogitatio, alium ex alio vel potius utrumque ex eodem fonte, quem Polybium fuisse ferme suspicor, sua hausisse. Locus Nepotis est cap. 6. « Pulsus (Hannibal, apud Zamam) biduo et duabus noctibus Hadrumetum pervenit, quod abest a Zama *circiter* millia passuum trecenta. — Hadrumeti reliquos ex fuga collegit: novis delectibus paucis diebus multos contraxit. »

Verba Appiani, l. c. p. 26, C, D. haec sunt: « ἐξέφυγεν (Ἀννίβας) σταδίους δ' ἀνύσας ἐς τρισχιλίους (29), δύο νυξίτε καὶ ἡμέραις, ἧκεν ἐν πόλιν ἐπὶ θαλάσσης Ἀδρυμητὸν, — περιπέμπων δ' ἐς τὰ

(29) « Er (Appian) rechnet gewöhnlich 10 Stadien auf « eine Römische Meile, wodurch auch 300 Meilen heraus« kommen.» U. Becker, *Vorarbeiten* etc. p. 195. n. 60.

πλησίον, καὶ τοὺς ἐκ τῆς μάχης διαφύγοντας ἀναλαμβάνων, ὅπλα καὶ μηχανήματα εἰργάζετο.

Res praeterea ab Hannibale in Africa gestas recenset Appianus infra.

Anno a pace cum Romanis inita proximo, argenti summam, quam quotannis victoribus solvere debebant victi, primum advexerunt Carthaginiensium legati (30), qui simul a Senatu peterent, ut obsides eorum Fregellis essent, captivique redderentur (31). Illud quidem eis concessum, hoc vero negatum, quod Hannibalem adhuc cum imperio apud exercitum haberent. Quam ob rem Hannibal domum revocatus est, factusque praetor (32).

Magnum de hac dignitate dissidium si attigero tantum, satis erit. *Rex* legi iubet Heusingerus in *Vita Hannibalis per annos descripta*, in sua Nepotis edit. p. 405, ideoque multis de hac re disputatis vocem *praeturam*, quae mox apud Nepotem occurrit, in glossae locum reiicit. Factum nolim.

---

(30) Vid. Liv. XXXII. 2.

(31) Nep. c. 7. Liv. l. c. qui tamen paullum a Nostro discrepat scribens Carthaginienses a Senatu petiisse, atque impetrasse, ut obsides eorum ab Norba, ubi parum commode essent, Signiam et Ferentinum transirent. Si lapsus est Nepos, error videtur esse parvi momenti, non enim multo longius a Norba distant Signia et Ferentinum, quam Fregellae. De rei veritate nihil pronunciare ausim. — Sed cum Nepote de hac legatione conf. Dio Cassius, *Excerpt. Legat.* XIV. ed. Leuncl. p. 924.

(32) Nep. c. 7. Cf. Livius XXXIII, 46.

Audito tamen Heusingero, statim lege quae de gravi hac re habet *U. Becker*, op. l. p. 20, sq. Eo magis te iuvabit hunc adiisse quod doctior ab eo discesseris, viderisque, Nepotem de magistratu, quem post reditum in patriam Hannibal gessit, neque deceptum fuisse, neque alios decepisse. Re enim vera fuerat *rex* i. e. *imperator* Hannibal annos ferme 22, inde ab Hasdrubalis morte usque ad P. Sulpicium et C. Aurelium Coss., sive ab an. U. C. 533. ad 554., quo anno domum revocatus *militarem* deposuit dignitatem, atque mox *civilem*, quam Nepos et Livius aeque recte vocant *praeturam*, gessit. Hoc in magistratu adeo diligentem se praebuit, ut non solum esset pecunia, quae Romanis ex foedere penderetur, sed etiam superesset, quae in aerario reponeretur (33). Quum Hannibalis operâ Carthaginem e gravi vulnere se recreaturam intelligerent Romani, legatos eo miserunt, qui eum perderent. Hos Hannibal sui exposcendi gratia missos ratus, nave conscensa ad Antiochum profugit (34). Non ita multo post Hannibalem ut ad bellum Carthaginienses adversus Romanos induceret, quinque navibus Africam accessisse, tradit Nepos, c. 8. Livius et Appianus e contrario affirmant Hannibalem ne literas quidem mittere ausum esse, ne a Romanis omnia scrutantibus

(33) Nep. c. 7. Cf. Liv. XXXIII. 46. 47.

(34) Nep. l. c. Plenius Liv. XXXIII. 47, sq. Cf. Cicer. *de Or.* II. 18. Appian. Συριακή. p. 88. Justin. XXXI. 2.

interciperentur. Aristonem vero quemdam Tyrium, cuius solertiam expertus erat, ab eo cum mandatis Carthaginem missum fuisse; remque ei non prospere cessisse, etc. (35). Alios igitur de his adiit fontes Livius, quem forte consuluit Appianus; alios Nepos, ut patet etiam ex diversa fama de Magonis interitu. Hic, secundum Livium, quum a Carthagine legati eum in Ligures adventum adiissent, et iussissent primo quoque tempore in Africam traiicere, idem enim et fratrem eius Hannibalem facturum; impositis copiis in naves profectus, vixdum superata Sardinia, ex vulnere quod nuper in agro Insubrium Gallorum contra Romanos pugnans acceperat, mortuus est (36). Itaque si Livio credimus, amiserat Hannibal tres fratres antequam ipse in Africam rediisset, nimirum Hasdrubalem, apud Senam (37); Hannonem, apud Saleram (38); tertiumque Magonem. Et tamen paullo inferius, scilicet in colloquio cum Scipione, inducitur Hannibal querens, quod *duo* sibi fratres, fortissimi vires, clarissimi imperatores erepti essent (39). Ita sibimet ipsi repugnat Livius, nisi perhibere velis Hannibalem ne tum quidem de fratris

---

(35) Vid. Liv. L. XXXIV. c. 60, sq. Appian. l. c. p. 90. Cf. Justin. XXXI. 4.

(36) Liv. XXX. 18 et 19.

(37) Vid. supra pag. 137.

(38) Liv. XXIX. 34.

(39) Liv. XXX 30.

morte certiorem fieri potuisse, quod parum probabile est. Nepoti vero superest Mago post pugnam apud Zamam (40). Item Appiano Ἀννιβαικῇ, p. 30, C. quo loco inter conditiones pacis Carthaginiensibus a Scipione propositas, haec non minima est: ἐν δ' ἑξήκοντα ἡμέραις Μάγωνα χρὴ Λιγύων ἀποστῆναι. Adhoç Zonarae, L. IX. c. 13. qui tradit « Magonem ad patriae opitulandum simul fere cum fratre reversum ad Ligures remissum fuisse. » Haec omnia vidit iampridem Groenius, Disp. de Coelio etc. p. 80. qui tamen pag. seq. n. 20. potissimum de Magonis interitu Livium probare auctorem videtur. Non ita U. Beckerus op. l. p. 196. n. 64. Jam Groenii argumentis me victum profiterer, si Nepos, quod multum abest, parum diligentem in Hannibalis vita se praebuisset; tum vero maxime si sua de Magone narratio claudicaret. At videamus.

Mago, etsi Carthaginienses post proelium apud Zamam cum Romanis pacem composuerunt, nihilo secius cum Hannibale fratre exercitui praefuit (vid. Nep. c. 7.); quam ob rem legatis Carthaginiensium petentibus ut captivi eorum redderentur, Romani se non eos remissuros declararunt (Nep. ibid.); quo responso Carthaginienses cognito, fratres domum revocarunt. — Hannibal enim, post reditum in patriam, in Africa res gerebat, et Mago (teste Zonara) ad Ligures remissus fuerat, atque

(40) Nep. c. 7 et 8.

(ut constat ex Appiano) ex una pacis conditione inde revocandus erat. — Mansit igitur Carthagine donec Hannibal, relicta iam patria, Carthaginienses ad novum bellum adversus Romanos inducere conatus, eum — sive per literas, sive per Aristonem — exciyit (vid. Nep. c. 8). Ubi profectum Magonem intellexerunt, eum pari poena ac fratrem affecerunt, exsulemque iudicarunt (vid. Nep. c. 8. cf. c. 7). Fratres autem, desperatis suis rebus, cum ventis vela dedissent, Hannibal ad Antiochum pervenit, Mago interiit; quonam mortis genere haud exploratum, *alii naufragio, alii a servis ipsius interfectum eum, scriptum reliquerunt* (Nep. c. 8).

Jam vero plures ob caussas probabilior mihi videtur Nepotis de Magonis ultimis gestis ac fatis narratio: 1°. quod in ea prorsus nihil est quod sibimet ipsi repugnet; 2°. quod unus Livius tradit Magonem, ne reversum quidem in patriam, obiisse; 3°. quod e contrario Appianus, Zonarasque, spectatae fidei viri, cum Nostro testantur, Magonem, post pugnam saltem apud Zamam gestam, adhuc inter vivos fuisse; 4°. quod ex ultimis verbis modo ex Nepote allatis dilucide apparet, eum *variorum scriptorum* de Magone tradita consuluisse, atque eius historiam, sicuti eam exposuit, pro fide ac probabili ratione accipiendam existimasse. — Caeterum non adeo obstinatus sum ego, ut de illa re certi quid statuere, vel meam sententiam aliis doctrina conspicuis viris obtrudere velim. Narrationis diver-

sitas haud dubio inde repetenda est, quod plures fuerint Magones, multique de rebus Punicis scripserint auctores. En quoque caussam, ob quam interdum in his aliisve rebus diutius commoramur.

Sed tempus monet ut ad ipsum Hannibalem, et ad Antiochum, revertamur. — Simulatque Romani resciverunt Hannibalem ad Antiochum pervenisse, et apud eum magno in honore esse, legatos ad Regem miserunt, qui de eius voluntate explorarent, et reipsa Hannibalem pessum darent. Quod cum is comperisset, seque ab interioribus consiliis segregari videret, tempore dato adiit regem, atque cum eo memorabilem habuit orationem, quam e Graeco sermone in Latinum egregie transtulit Nepos (41). « Non movit modo talis oratio regem, sed etiam reconciliavit Hannibali. — Ex concilio ita discessum « est, ut bellum gereretur." (42). Sed si tam in agendo bello parere voluisset consiliis eius Antiochus, quam in suscipiendo instituerat, propius Tiberi quam Thermopylis de summa imperii dimicasset (43). Sententia enim Hannibalis una

(41) Nep. *Hannib.* c. 2. quod caput integrum sumsit ex Polyb. L. III. p. 166, 167. Legatorum Romanorum adventum apud Antiochum, eorum concilium, in quo non adhibitus est regi suspectus Hannibal, huiusque apud eum excusationem, temporum ordine refert Liv. L. XXXV. c. 13—19, ex eod. fonte. Cf. L. XXI. c. 1.

(42) Liv. XXXV. 19. extr.

(43) Nep. c. 8.

atque eadem semper fuerat, ut in Italia bellum gereretur (44). Antiochus verò potius aliorum quam Hannibalis consiliis paruit, Graeciamque invadere statuit, sed ob eam diffidentiam multa peccavit. — Jam quum « Chalcide erat, Hanni« balem non ut prudentem tantum virum, sed « prope vatem omnium, quae tum evenirent ad« mirabatur. Ne tamen temere coepta, segnitia « insuper everteret, nuncius in Aetoliam mittit, ut « omni contracta iuventute, convenirent." — Sed quid plura Livii verba afferrem? ipsum adi, et videbis, pauciores quam antea unquam ad Antiochum venisse, huncque destitutum undique, et ab suis, qui morabantur in Asia, et ab sociis, qui ea, in quorum spem vocaverant, non praestabant, intra saltum Thermopylarum sese recepisse, ibique a Romanis profligatum esse (45). Copiosissime descriptum esse hoc proelium a Livio, Plutarcho, Appiano, haud mirum: namque in eo enarrando ante oculos habuerunt narrationem testis oculati, M. Catonis, cuius insignis exstitit virtus illo Leonidae morte loco nobilissimo. Ipsum autem rerum a se gestarum scriptorem fuisse Catonem, iam supra observatum est; eiusque scripta diligenter Nepotem evolvisse, videbimus infra.

Sed et Polybium de hac Antiochi adversus Grae-

(44) Liv. XXXIV. 60. Cff. Appian. Συριακὴ p. 90, 94. Justin. XXXI. 5.

(45) Vid. Liv. L. XXXVI. c. 15, sqq. Plutarch. in *Cat.* Vol. II. p. 343, sq. Appian. Συριακὴ p. 95—99.

cos expeditione, quam vix attigit Nepos, a Livio saltem et Appiano consultum fuisse, facile mecum statuet quisquis eorum de Antiochi Chalcide degentis vita, militum incuria, otio, nuptiis etc. tradita, cum Polybii reliquiis contulerit. Locus Livii est lib. XXXVI. c. 11. Appiani *Συριακὴ* p. 95, 96. Polybii vero fragm. *ἐκ τῆς εἰκοστῆς*, edit. Casaub. p. 984. apud Athenaeum L. X. p. 439, E, F. Narraverat igitur Megalopolitanus ille Antiochi expeditionem, de qua hic agitur, libro XX Historiarum suarum, quem cum tot aliis periisse maxime dolendum!

Tradit praeterea Nepos, post proelium apud Thermopylas, Hannibalem ab Antiocho missum fuisse in Syriam ad naves arcessendas, eisque praefuisse adversus Rhodiorum classem, quacum in mari Pamphylio conflixit, et egregia virtutis edidit documenta. Utramque rem refert Livius, sed plenius (46).

Antiocho fugato, verens ne dederetur, quod sine dubio accidisset si sui fecisset potestatem (47), venit in Cretam insulam ad Gortynios. Novum commentum quo hic Gortynios illusit, cum Nepote refert Justin. L. XXXII. c. 4. Tale consilium cepisse Hannibalem, ut se resque

(46) Nep. c. 8. extr. Vid. Liv. L. XXXVII. c. 10 et 23.

(47) Nep. c. 9. Recte, conditionibus enim pacis Antiocho a Romanis datae haec adscripta erat: « Ἀννίβαν ἐκδοῦναι τὸν Καρχηδόνιον.” Vid. Polyb. *Excerpt. Legat.* XXIV. p. 817. Post eum Liv. XXXVIII. 38. Eutrop. IV. 2.

suas servaret, nos non sinit dubitare cum calliditas viri, tum avaritia Cretensium (48).

Relictâ Cretâ, venit apud Prusiam; eodem animo erga Italiam, institit ut bellum adversus Romanos susciperet (49). Simultates gerebat is cum Eumene Pergameno, Romanis amicissimo, ideoque potentissimo. Quam ob rem si hunc removisset Hannibal, faciliora sibi caetera fore non erat dubitandum. — Callidissimum inventum, de vasis serpentibus repletis, quo Eumenis classem superavit Poenus, adeo Asiaticorum populorum admirationem meruisse videtur, ut Atreni, ad quos traditione saltem pervenire potuerat, cum a Severianis obsiderentur, id haud dispari successu adversus hostes imitarentur (50). Referunt idem, praeter Nepotem (cap. 10, 11.), Frontinus, Stratag. IV. 7, 10. et Justin. XXX. 4. sed Nostro brevius.

Romanis autem, qui Hannibale vivo, se sociosque suos nunquam sine insidiis futuros existima-

(48) Pravos Cretensium mores notasse PAULUM ad *Tit.* I. 12. PLUT. in *Philopoem.* p. 363. in *Aemil. Paullo*, p. 267. monuit HEUSINGERUS, qui gravissimos de hac re locos ap. POLYB. IV. p. 278, C. VI. p. 489. omittere non debebat; nec OVID. *Art. Am.* I, v. 298:

« non hoc, centum quae sustinet urbes,
« Quamvis sit *mendax*, Creta negare potest."

(49) Vid. NEP. c. 10. Cff. CIC. *de Divin.* II. 24. (quem locum exscripsit VAL. MAX. III. 7. ext. 6.) LIV. XXXIX. 51. JUST. XXXII. 4.

(50) Vid. HERODIAN. III. 9.

bant, commodissimum visum est, ei mortem accelerare. Itaque legatos ad Prusiam miserunt, cum aliarum rerum, tum maxime eius exposcendi caussa. Timidus rex, ius hospitii servare simulans, ipsum se Hannibalem traditurum negavit, eius autem capiendi Romanis fecit potestatem. Quos cum castellum suum undique iam obsidentes videret ille, veneno sumto hostes occupavit.

Sic ferme magni Hannibalis ultima fata exponit Nepos. Quocum conff. Liv. XXXIX. 51. Justin. XXXII. 4. Aurel. Vict. in Annibale. Eutrop. IV. 5, qui omnes testantur T. Q. Flaminium (51) a Romanis apud Bithyniae regem missum, qui a rege peteret ut sibi Hannibal traderetur. Non ita Appianus, qui in Συριακῇ p. 92, B. eum ob alias res apud Prusiam legatione functum esse, et, ne mandato quidem a Senatu accepto, (πρεσβεύων ἐφ' ἕτερα πρὸς Προυσίαν — οὔτε Ῥωμαίων ἐντειλαμένων) Hannibalem perditum ivisse, scribit. Sed Zonaram eum refutare crederes, dum dicit, πρέσβεων πρὸς τὸν Προυσίαν πεμφθέντων ἐκ Ῥώμης δι' ἄλλα τέ τινα, καὶ ὅπως καὶ τὸν Ἀννίβαν ἐκδοίη παρ' αὐτῷ ὄντα.

Affirmant praeterea cum Nostro illi scriptores

---

(51) *Lucius* vocatur is ap. Nep. c. 12, ut videtur memoriae lapsu, vel librariorum peccato. Error inde repetendus, quod Lucius et Titus fratres fuerint, uterque consulares, ut monuerunt interpp. Perperam autem ab Appiano p. 92. et Aurelio Victore, 51. vocatur Flaminius, quo de nomine vid. Heusinc. ad Nep. l. c.

Hannibalem, ne in hostium manus veniret, hausto veneno mortem oppetivisse. — Eum a Flaminino per Prusiam veneno sublatum scribit Appianus. Attamen reipsa a caeteris dissentire mihi non videtur. Nonne enim Flamininus auctor fuit, ut Hannibalem proderet Prusias? Nonne hic auctor, ut proditus hospes veneno vitam abiiceret? A quo igitur occisus est, nisi a Prusia? (52).

Si diutius operosiusque in hac disquisitione versatus sum, operae pretium erat. « Quid enim bello Punico secundo audacius unquam coeptum est, acriusve gestum? Cuius belli aut magis varia fortuna fuit, aut mirabilior exitus omniumque magis oppositus exspectationi?" Quis belli dux Hannibalem unquam superavit? Quem virum Romani eorumque partibus studentes tam infesto prosecuti sunt odio quam Hannibalem, adeo ut illum, cui in bello parserat fortuna, non tantum per terras mariaque persequerentur, donec eum

---

(52) Acquievit igitur magnus vir, anno aetatis admodum sexagesimo quinto, non septuagesimo, ut mendose legitur apud Nepotem, c. 13, quodque eum scripsisse nondum credo. Docta omnino et Bosii coniectura, qui scriptum ab auctore suspicatur LXV, mutatum deinceps librariorum oscitantia in LXX. — Aliud huius generis mendum invenitur ap. Aurel. Vict. 51; in *Annibale*, qui dicitur, « *undecim* annos natus, a patre aris admotus, odium in Romanos perenne iurasse," quum inter omnes constet egregium puerum tum *novem* annos fuisse natum. Immo numerus IX facillime in XI transferri potuit.

per fraudem, dolum, scelus interemerint, sed etiam mortuum turpissimis opprobriis inquinarent, acerbissimis conviciis obtrectarent, mordacissimisque dictis dilacerarent (53).

Ex hoc obiurgantium examine merito excipias L. Coelium Antipatrum, quem insignem fuisse historicum bene ostendit Groenius, alios praeterea quosdam, et forte Livium, in quo, tametsi haud pauca foeda atque crudelia facinora Hannibali tribuit, tantus tamen fuit veritatis amor, tantaque vis conscientiae, ut Carthaginiensium heroëm saepenumero egregiis, et debitis quidem, cumularit elogiis. Sed inter eos, qui magni viri magnas virtutes resque illustrissimas admirati sunt (loquor de Latinis), agmen ducat Nepos. Is enim, qui neque Pausaniae superbiam, neque Lysandri crudelitatem, aliorumve vitia reticuit, tot flagitiorum tamen, quae a plerisque Romanis Hannibali obiiciuntur, nullam mentionem facit; quod in eo maxime laudandum esse, iam ante me censuit celeber Lennepius. Ut enim fecerat Nepos in Themistocle et in aliis quibusdam, quorum res varie tradebantur, sic fecit in Hannibale: in-

(53) Vindex egregius ei exstitit D. J. VAN LENNEP, V. Cl. in Oratione belgica *Verdediging van het character van Hannibal*, in opere quod inscribitur *Bibliotheek van oude Letterkunde* inserta, inde a p. 247. Hanc orationem nonnisi Belgis notam esse probabile est: namque nostris etiam temporibus adeo obstinati sunt exteri, ut vix sibi persuadeant, Belgicas Literas dignas esse, quibus nonnihil temporis tribuant.

ter eos scilicet, qui res ab eo adversus Romanos gestas literis mandaverant, sive illorum temporum historiam reliquerant, potissimum credidit iis auctoribus, qui non solum aetate Hannibali erant proximi, verum etiam fide historica inclaruerant, quibusque non temere tales adiungere potuit viros, qui, etiamsi recentiores erant, tamen doctrina, diligentia, accurata temporum rerumque expositione, veritatis studio, multo caeteros antecellebant, atque merito spectatae fidei habebantur viri; quales fuerunt T. Pomponius ille, et Sulpicius. Itaque a scriptoribus quos in Hannibale sibi duces elegit Cornelius, segregare utique debuit L. Cincium, Hannibalis captivum et calumniatorem, et Fabium Pictorem, perpetuum Carthaginiensium obtrectatorem, cui notam infamiae iam inusserat Polybius; et quotquot ad hanc mendacium sentinam pertinebant. — Multos autem bella gestaque Hannibalis memoriae prodidisse, ipse testatur, cap. 13; neque est quod miremur, quoniam, ut recte ait Groenius, bellum illud Hannibalicum gravitate sua cum omnium populorum sermone celebraretur, plurimos ad enarrationem sui compellere debuerit. Ex his Nepos nominat Silenum, Sosilum, M. P. Catonem (in huius vita), Polybium, omnes Hannibalis aequales; Tit. Pomp. Atticum et Sulpicium Galbam. Et quum omnia bene considero, facillime mihi persuadeo, Nostrum in Hannibalis vita enarranda non alios (nisi forte Acilium, de quo in-

fra) sibi elegisse duces. — Inter eos autem praecipuum locum occupat Polybius, cui plurimum debuit Nepos. Neque mirum: nam e communi omnium consensu, qui non tantum eius operis prooemium, sed et totum opus diligenter legerunt, constat, eum Thucydidis exemplo historiam suam composuisse potius ut perpetuum monumentum, quam ludicrum certamen quod in praesentia audiretur. — Caeterum non prorsus necesse videtur existimare, Cornelium nostrum omnia de quibus consentit eum Polybio, ex eo sumsisse. Namque eadem quae Scipionis Aemiliani amico patebat et Ciceronis familiari via ad acta publica, quae res a Romanis adversus alios populos gestas continebant.

De M. Porc. Catonis et Titi Pomp. Attici operibus infra dicendi locus erit; superest, ut nonnulla de caeteris moneamus, incipientes a SOSILO. Fuit is, secundum Nepotem Lacedaemonius, secundum Diodorum vero Iliensis, comes Hannibalis, quem literas graecas docuit, cuiusque facta VII libris complexus est (54). At eum, ut et Chaeream, qui pariter res Hannibalis conscripserat, ob aniles fabulas et leves rumusculos historiae insertos, graviter taxat Polyb. L. III. p. 175, C. Eum res praestantissimi ducis, cuius non tantum comes sed et praeceptor fuerat, supra mod

(54) Vid. Diod. Sic. *Excerpt.* 3. ex Lib. V p. 513.

extulisse, atque scripta, more illorum temporum, multis prodigiis exornasse, non adeo mirandum videtur. Minime dubito, quin inter eas fabulas recensendae sint res duae, a Cornelio, cap. 3. traditae: nempe, « *Alpes neminem unquam cum exercitu ante Hannibalem, praeter Herculem Graïum, transiisse;*" et, Hannibalem effecisse, « *ut ea elephantus ornatus ire posset, qua antea unus homo inermis vix poterat repere.*" De his et nonnullis aliis bene et composite disserit Polyb. L. III. p. 200—203, diserte ostendit esse ea falsa, atque vehementer invehitur in eos, qui, ut lectores stupefacerent, talia prodiderunt. Ostenderat iam L. II. p. 111. et affirmat iterum L. III. p. 201, Gallos Rhodani accolas, non semel aut iterum ante Hannibalis adventum, neque iam olim, sed paullo ante cum magnis exercitibus Alpes superasse, et Circumpadanis Gallis opem ferentes, cum Romanis arma contulisse. — Quod attinet ad Herculem Graïum, qui primus cum copiis montes illos transiisse dicitur, non eius est momenti ea res ut Nepotis, in Hannibalis vita, auctoritati magnum afferat damnum. Erat nimirum illa de Hercule eiusque exercitu vetus fama, ut patet ex Silio Ital. L. IV. init., quamque fusius breviusve exposuerunt Diod. Sic. L. IV. c. 19. Plin. H. N. L. III. c. 17, 20. Ammian. L. XV. c. 10. Item Appian. Συριακῇ, p. 91, D. quo loco Hannibal acta sua Scipioni recensens gloriatur in eis, quod νέος ὢν ἔτι Ἰβη-

ρίας τε ἐκράτησε, καὶ στρατιῷ τὰ Ἄλπεια ὄρη μεθ' Ἡρακλέα πρῶτος ὑπερῆλθεν. Eundem auctorem haec et Nostro et Appiano suppeditasse crederes. Itaque si Nepos hac in re debeat reprehendi, fuit sane error parvi momenti multisque ei cum scriptoribus communis. Sed prudentior fuit Livius, qui lib. V. c. 54. fabulis iter istud transcripsit.

Sequitur SILENUS, pro quo Philenum legit Vossius, de Hist. Gr. p. 114, qui putat, eundem esse Philenum quem Polybius Lib. I. p. 13. Fabio Pictori adsimulat. Nos vero cum Heusingero et aliis viris doctis credimus Nepotem scripsisse Silenum; nec tamen intellexisse Silenum Calatianum, rerum Sicularum scriptorem, de quo agit Voss. de Hist. Gr. p. 413, sed alium, quem in rebus Punicis excitat Livius, Lib. XXVI. c. 49. quemque *diligentissime res Hannibalis persecutum esse*, et a L. Coelio consultum fuisse, testatur Cicero, de Divinat. L. I. c. 24.

SULPICIUM, quem excitat adhuc Nepos, Sergii Sulpicii Galbae Romanorum Imperatoris avum fuisse, censent interpp. cum Voss. de Hist. Latin. p. 92. De eo ita loquitur Suetonius in Galba, c. 3: « Avus (Galbae) clarior studiis, quam di« gnitate; non enim egressus praeturae gradum, « multiplicem, nec *incuriosam* historiam edi« dit. » — Probabile est hanc historiam res Romanas continuisse, atque Sulpicium maxime bello Punico secundo operam navasse; si quidem illa

historia fuit *non incuriosa*, i. e. singulari cura peracta, fideliter et cum magna diligentia literis mandata. Hanc enim vim habere vocem *curiosus*, vel *non incuriosus*, docet S. Pitiscus ad Suet. in August. c. 27. 4. n. 15. probatque locus Frontini, *Praef. Strateg.* p. 6. edit. Oudend. « Huic labori non injuste veniam paciscar, ne me « pro *incurioso* reprehendat, qui praeteritum « aliquod a nobis repererit exemplum. " (55).

Hannibalem vero non modo scribenda fecisse, sed et facta scripsisse, his verbis docet eius biographus, cap. ultim.: « Atque hic tantus vir, « tantisque bellis districtus, nonnihil temporis tri« buit literis (56). Namque aliquot eius libri « sunt, Graeco sermone confecti: in his ad Rho« dios de Cn. Manlii Vulsonis in Asia rebus ges« tis." — Vulso iste, cuius et meminit Livius lib. XXXVII. c. 47, consulatum gessit cum M. Fulvio Nobiliore, an. U. C. 565. — Secundum temporum rationem, scripsisse videtur hunc li-

---

(55) Eandem vim haec vox diu apud Gallos servavit, ut ex celeberrimo Ludovici XII de typographia edicto (9 April. 1513) patet: . . . « par laquelle science (de l'impression) . . . le service divin (a été) plus honorablement et *curieusement* fait, dit et célébré, etc."

(56) Hannibalem non *optime* Graece, sed tamen *libere* locutum esse, docet Cicero *de Orat.* L. II. c. 16. — Eum multa Phoenicia et Graeca doctrina imbutum fuisse, testatur Dio Cassius, *Excerpt. Peiresc.* 47. Totum locum in vernaculam transtulit U. Becker, op. saepius laud. p. 27, 28. not. 39.)

brum Hannibal dum in Bithynia degeret, in castello quod a Prusia rege acceperat, eumque primum a T. Q. Flaminino Romam fuisse allatum puto. Neque mihi quam Groenio (57) facilius persuadebitur, Hannibalem, quum de alius rebus gestis libros confecerit, tanto maiora sua ipsius facinora memoriae non mandavisse. Aut vehementer fallor, aut res a se in Hispania, in Italia, et in Africa gestas conscripsit eo tempore quo Carthagine praeturam gessit; vixque dubito quin Polybius, qui plura investigandi caussa, Scipionem, cuius familiaritate utebatur, in Africam secutus est, illud opus, aliaque plura ad bellum Punicum secundum pertinentia, in actis publicis consignata invenerit (58), eorumque mentionem fecerit in eà parte historiae suae quam Hannibalis ultimis rebus gestis fatisque dedicavit, quaeque, proh dolor! deperdita est. Quae si vera sunt, cognovit Nepos Hannibalis opus ex mentione saltem de eo a Polybio facta. Jam id interest, fueritne id opus a Romanis lectum, an Nepoti solum ex aliquo scriptore notum. Etiamsi addidero quod mihi venerit in mentem, nempe

---

(57) *Disp. de L. Coel. Antip.* etc. p. 15.

(58) At obiicietur mihi lingua punica, quum probabilius sit ea lingua Carthaginiensium acta publica fuisse conscripta, quam Graeci forte non cognitam habebant. De actis igitur concedam, non vero de Hannibalis opere, quo eum res a se gestas memoriae populorum omnium prodidisse puto.

ex hisce Nepotis verbis: *aliquot eius libri sunt, Graeco sermone confecti: in his"* etc. probabile esse, eum libros illos cognovisse et inspexisse, verebor tamen ne lis adhoc sub iudice maneat.

Sed nunc tempus est huius disquisitionis facere finem. Ex omnibus quae disputavimus facile colligitur, Nepotem in Vita Hannibalis enarranda, in rebus eius exponendis, adeo iustum, diligentem, prudentemque sese praebuisse, ut eius auctoritas in paucissimis tantum levis, in plurimis vero insignis, ac fere in nullis plane despicienda sit.

XXIV. M. PORCIUS CATO.

Huius illustrissimi Romani uberiorem vitae descriptionem edidisse Nepotem, ipse docet in eiusdem vitae conspectu, sive adumbratione adhuc superstite. Alia vitae Catonis est ratio, quam earum, quas usque adhoc censurae subiecimus. Horum virorum res gestae ab aliis literis erant mandatae, atque Nepotis iudicium ab aliorum iudicio pendebat (1). Cato autem vitae suae, rerumque a se gestarum scriptor fuit, ipseque luculentus fons ex quo sua de eo prodita hauserunt recentiores, in primis Nepos et Plutarchus. Varia enim Catonem maiorem scripsisse testantur veteres (2). Primum inter ea locum occupant *Historiae*, a nonnullis etiam *Annales*, a plerisque *Origines* vocatae; namque unum et idem opus fuisse, constat. Argumentum earum, ac temporis spatium quod complectebantur, accurate indicat Nepos, qui

(1) Ita de Plutarcho Heeren, *de fontib.* eius *in Cat. Vit.* p. 123.

(2) Vid. Voss. *de Hist. Lat.* p. 19—23.

dicit Historiarum libros fuisse septem, qui haec continebant:

Primus res gestas regum Populi Romani, inde ab Urbis origine (3) — i. e. ab an. ant. Ch. 753—509.

Secundus et *Tertius* unde quaeque civitas orta sit in Italia, ob quam rem omnes *Origines* videtur appellasse. — Doctissimum autem Catonem Italicarum urbium origines accuratissime collegisse, testatur etiam Dionysius Hal. (4).

Quartus bellum Poenicum primum: — ab an. ant. Ch. 264—241.

Quintus bellum Poenicum secundum, — ab an. ant. Chr. 218—201. — Quae omnia capitulatim, i. e. breviter et sine ornatu (5) dicta erant.

Sexto et *Septimo* pari modo reliqua bella cum in Hispania, tum in Asia, ea contra Antiochum gesta (6), prosecutus erat Cato, usque ad praeturam Serv. Galbae, qui diripuit Lusitanos: — i. e. usque ad an. ant. Ch. 150 (7).

In his quoque libris multa industria et diligentia comparebat, multa doctrina.

Confecerat praeterea Cato *Orationes*, quarum amplius centum et quinquaginta Ciceronis aevo

(3) Conf. Dionys. Halic. *Antiq. Rom.* L. I. c. 74.

(4) Vid. Dionys. Halic. *Antiq. Rom.* L. I. c 11, init.

(5) Docente Heeren. l. c. ex Cic. *de Orat.* II, 12.

(6) Vid. nos supra pag. 144, sq. Conf. Heeren, l. c. p. 126, 127.

(7) Vid. Heeren, l. c.

referebantur (8). Pertinebat inter eas, teste Livio (9), una *de Pecunia regis Antiochi*, qua P. Corn. Scipionem, quocum perpetuo simultates egit, corruptum fuisse dicebat. Item una *de Lusitanis* (10), in Annalibus sive Originibus eius inclusa (11), qua Sev. Galbam vehementer accusavit, acerrimeque suasit, ut Lusitani, qui in fidem populi R. dediti, a Galba direpti essent, in libertatem restituerentur.

Fuisse Catonem etiam agricolam sollertem, tradit Nepos, intelligens eius opus *de Re Rustica*, quod nostris in manibus est. Catonis *Epistolam* ad filium ex prima uxore Licinia ipsi natum, sed iam in praeterea mortuum, in qua suum exemplum proponens, rei domesticae praecepta ei exhibuerat (12), Nostro haud ignotam fuisse, verosimillimum est. — Legit igitur Nepos omnia Catonis opera, ex quibus depromsit singula, quae cum de publica, tum de privata Catonis vita commemoravit.

---

(8) Cic. in *Bruto*, c. 17. ubi multa de Catonis scriptis scribendique ratione disserit.

(9) Liv. Lib. XXXVIII. c. 54.

(10) Vid. Aul. Gell. *Noct. Att.* L. I. c. 12.

(11) Vid. Cic. *de Orat.* I. 53. in *Bruto* c. 20 et 23. Liv. *Epit.* libri XLIX.

(12) Vid. Heeren, l. c. p. 127.

XXV. TITUS POMPONIUS ATTICUS.

Ultima Nepotis vitarum, quas nobis concessit fortuna, est illa Titi Pomponii Attici, cuius naturam et mores, quantum ingenio posset, aperuit. Alia huius vitae, quam reliquarum omnium de quibus disputavimus, est ratio. Non enim ex antiquioribus auctoribus cognovit Atticum, sed ea, quae de eo scripsit, partim ipse viderat, partim a testibus oculatis acceperat, aliaque ex ipsius Attici Ciceronisque familiaritate bene noverat. Quemadmodum Xenophon Agesilai, cuius familiaritate usus est, elogium composuit, ita Cornelius Nepos Ciceronis et Attici, quibus iucundissimus erat, vitas enarravit. Probabile est, eum statim post mortem Ciceronis (1) de huius vita libros composuisse (2); hisque confectis,

(1) Natus est M. Tul. Cicero an. U. C. 647. mortuus an. 710; vixit igitur annos 63. Natus est T. Pomp. Atticus an. U. C. 644, triennio ante Ciceronem; obiit anno aetatis septuagesimo septimo, an. U. C. 721, ut ita Ciceroni undecim annos superstes fuerit.

(2) Quorum mentionem facit Aul. Gell. N. A. XV. 28.

Attici vitam contexere coepisse. Sed illa periit, de hac tantum nobis dicendum est.

Maximam Attici vitae partem, i. e. omnia quae de eo tradit Nepos ab initio usque ad cap. XIX, Attico adhuc vivo se edidisse, ipse testis est (3). Ex his multa eum *Epistolis*, quas Atticus, cum ab Urbe abesset, ad Ciceronem scripsit, debuisse puto. Epistolae quidem eae non ad nos pervenerunt, neque forte unquam editae sunt (4), sed Ciceronem eas cum Nepote suo communicasse, huncque ex iis sumsisse quae suo convenirent proposito, neque Atticum civilibus committerent fluctibus, minime dubitandum est. Eum certe Ciceronis ad Atticum *Epistolas* legisse ac consusuluisse, patet cum ex mentione earum ab eo

(3) Nep. in *Att.* c. 18. extr.

(4) Mirari subit tot Ciceronis ad Atticum epistolas, sed nullas Attici ad Ciceronem inveniri. Acute eius rei veram rationem perspexisse videtur Middleton, *History of the Life of Cicero*, Vol. III. p. 379. ed. Lond. 1755. « It must be imputed likewise to the same principle of Atticus's caution, and a regard to his safety, that after so long and intimate a correspondence of letters with Cicero, on the most important transactions of that age, of which there are *sixteen books of* Cicero's still remaining, yet not *a single letter of* Atticus's was ever published: which can hardly be charged to any other cause, but his having withdrawn them from Tiro, after Cicero's death, and suppressed them with a singular care; lest in that revolution of affairs, and extinction of the public liberty, they should ever be produced to his hurt, or the diminution of his credit with their new Masters."

facta (5), tum ex collatione earumdem epistolarum cum Nostri traditis. Longum esset res omnes, de quibus cum Cicerone optime congruit Nepos, hic afferre, nec postulandum videtur, praesertim quod Schotti labor hunc nobis levavit laborem.

Quod ad res attinet Attici domesticas, quas singulari cura refert Nepos, omnem de his dubitationem nobis excutit, dum testatur se non audita sed cognita praedicare; saepe enim propter familiaritatem eis interfuisse (6).

Quoniam res iam obtulit, silentio praeterire non est consilium, quin de Attici scriptis loquar. Inter eius scripta eminuit opus historicum. *Annalem* id vocat Cicero ad eum scribens, Epist. 23 libri XII: « Quibus consulibus Carneades, et « ea legatio Romam venerit, scriptum est in tuo « *Annali*." Item Nepos in Hannib. c. 13: « Atticus Marco Claudio Marcello, Q. Fabio Labeone Coss. mortuum (Hannibalem) in *Annali suo* scriptum reliquit." Et ipse Atticus apud Cicer. in Brut. c. 5: « Nosmet ipsi," inquit, « ad « veterum *Annalium* memoriam comprehenden- « dam impulsi atque incensi sumus." Fuisse annales Imperii Romani, liquet ex hisce Nepotis verbis in Att. c. 18: « Moris etiam maiorum sum- « mus imitator fuit (Atticus), antiquitatisque « amator, quam adeo diligenter habuit cognitam,

(5) Nep. in *Att.* c. 16.

(6) Nep. ibid. c. 13. Conf. cap. 17.

« ut eam totam in eo volumine exposuerit, quo « magistratus ornavit. Nulla enim lex, neque pax, « neque bellum, neque res illustris est populi Ro- « mani, quae non in eo suo tempore sit notata: « et, quod difficillimum fuit, sic familiarum ori- « ginem subtexuit, ut ex eo clarorum virorum propagines possimus cognoscere." Quibus ex verbis, ut recte observavit Vossius (7), perspicimus, duo iis fuisse libris complexum; temporum seriem, et originem familiarum. De priori inter alia haec Brutus et M. Tullius (8): « Nempe eum (librum) dicis, quo iste (Atticus) omnem rerum memoriam breviter, et, ut quidem « visum est, perdiligenter complexus est? – Istum « ipsum, inquam, Brute, dico librum mihi sa- « luti fuisse." — Additque mox Cicero (9): « Habuit liber iste nova, inquam, mihi quidem « multa, et eam utilitatem, quam requirebam; « ut, explicatis ordinibus temporum, uno in « conspectu omnia viderem," etc. Egregius de hac re alius est locus apud eundem Ciceronem, in Oratore, cap. 34: « Cognoscat (orator) etiam « rerum gestarum, et memoriae veteris ordinem, « maxime scilicet nostrae civitatis: sed et impe- « riosorum populorum, et regum illustrium: quem « laborem nobis Attici nostri levavit labor; qui « conservatis, notatisque temporibus, nihil cum

(7) Quem de Attico vide, *de Hist. Lat.* p. 48—51.
(8) Cic. in *Bruto*, c. 3.
(9) Id. ibid.

« illustre praetermitteret. annorum septingento-
« rum memoriam uno libro colligavit." — Nec DCC tantum annorum, sed et virorum totidem historiam eum collegisse, ex Plin. lib. XXXV patebit (10). Jam ex illis Ciceronis verbis dilucide apparet, Atticum, etsi in primis civitatis suae res voluerit illustrare, tamen non solum Romanas, sed et exteras tractasse, et quidem *Regum illustrium.* Hic certe est liber quem intelligit Nepos, de Regib. c. 1. scribens: « Eos
« (reges) attingere noluimus, quod omnium res
« gestae *separatim* sunt relatae." Insignis super hac re semper fuit discordia inter viros doctos. Putarunt alii Nepotem ipsum peculiarem de Regibus librum edidisse; alii alium. Sed miror nemini adhuc (quantum scio) in mentem venisse, Atticum illius libri fuisse conditorem, aut potius illustrium regum res in annali suo, nec in alius cuiusdam auctoris opere fuisse relatas. Quod etiam significare videtur hic locus (11) Asconii Pediani in Pisonianam: « Tradunt et
« Antiochi regis filio obsidi domum publice ae-
« dificatam: inter quos Atticus in *Annalibus.*"

Hactenus de praecipuo Annalium argumento. Quod vero Nepos ait, praeterea de familiis eodem egisse Atticum libro, id asseveranti credendum existimavit Vossius. Sed accuratius eam partem prosecutus est Atticus opere altero. De

---

(10) Hoc debeo Schotto ad *Nepot. Attic.* c. 18.
(11) Quem pariter Schotto debeo.

quo sic Nepos: « Fecit hoc idem separatim in « aliis libris; ut M. Bruti rogatu Juniam familiam « a stirpe ad hanc aetatem ordine enumeravit, « notans, qui, a quo ortus, quos honores, qui- « busque temporibus cepisset. Pari modo Mar- « celli Claudii, Marcellorum; Scipionis Cornelii, « et Fabii Maximi, Corneliorum et Fabiorum, et « Aemiliorum quoque. Quibus libris nihil pot- « est esse dulcius iis, qui aliquam cupiditatem « habent notitiae clarorum virorum."

Haec omnia adnotavimus, ut ostenderemus Nepotem in vitis cum Graecorum tum Romanorum excellentium Imperatorum Attici *annalibus* usum esse. Praeterea nemo dubitabit quin etiam Attici volumen de *Imaginibus* illustrium virorum, sub quibus singulorum res praecipuas declaraverat (12), consuluerit, nec non eius librum Graece confectum *de Consulatu Ciceronis* (13), quem haud dubio ante oculos habebat quum *Vitam Ciceronis* enarraret, quam cum tot aliis periisse maxime dolendum.

(12) Vid. Nep. *Attic.* c. 18. Conf. Plin. *H. N.* lib. XXV. c. 2. a Vossio, Schottoque cit.

(13) Nep. ibid. Huius libri mentionem facit ipse Cicero in *Epist. ad Attic.* 1a libri II: « Puer tuus mihi literas abs te, et commentarium consulatus mei graece scriptum reddidit." — Cicero ipse, eodem ut videtur tempore, *Commentarium Consulatus* sui graece confecerat. Vid. Cic. *Epist. ad Att.* 18 et 19. Lib. I, quibuscum conf. Lib. II. Ep. I.

EPILOGUS.

Singulis, quae supersunt, Nepotis vitis critico submissis examini, via munita erit ad iudicium de iis ferendum. Hacce disputatione affirmantur omnia quae iam in praefatione monita sunt. Loquor, non de *arte* qua eas composuit Nepos, non de *stylo*, quem omnes dilaudant, verum de *fide* eius *historica*, quam plures contemserunt. Etsi Nepos cum Plutarcho non comparandus est, tamen si illud quaeris, quatenus Nepos criticum egerit? hoc, inquam, cum eo habet commune. In memoriam ante omnia revocandum est, quod ex ipso Nepote saepius demonstratum, « non se historias, verum vitas scripsisse, ad quarum exempla alii se componerent. Vitarum quidem non minus quam historiarum scriptorem veritatis studiosum esse debere, facile concedimus; cum tamen non de novo historiam condere, sed ex historia exempla tantum repetere voluerit, nec illud exspectabis, ut ex primis, ut vocant, fontibus, annalibus ac monumentis publicis, tradita sua petierit, neque ut singula scriptorum nar-

rata severae censurae subiecerit. Subsistendum erit in eo, ut iudicium suum probaverit in eligendis scriptoribus, quos duces sibi sumsit. In hoc vero, quanta fuerit cura, quanta diligentia Nepotis nostri, ipsa scriptorum censura a nobis exhibita abunde docet (1)." Si vero interroges, quomodo auctoribus illis usus fuerit? ore libero pronunciare ausim, eum nunquam aliorum tradita eo consilio immutasse, ut lectores in fraudem illiceret, sed interdum, quod certe laudandum, in diversitate narrationis sano cum iudicio delectum fecisse. At dicet quis, eum in multis lapsum esse, in nonnullis etiam turpiter se dedisse. Haud nego: sed illud humanae imbecillitati ignoscendum (2), quoniam errare humanum est; aliud nimiae festinationi, atque cuidam negligentiae imputandum, quare poenas peccatorum luat! Attamen negare non poteris, in praecipuis vitis eius fidem historicam, in universum saltem, insignem esse. His igitur se tueatur Cornelius Nepos contra iniquum nonnullorum iudicium!

---

(1) Haec ex Heerenii de Plutarcho iudicio nobis exscripsimus, quod proposito nostro optime conveniebant.

(2) Taceo prorsus de Phocionis vita.

Jam magnó cum gaudio mecum repetebam quaestionis verba, *Disquisitio critica de fontibus et auctoritate Cornelii Nepotis!* laetitiaque exsultabam, quod, tot cum difficultatibus cum conflictandum fuisset, tamen opus ad finem perduxissem, quum subiit cogitatio animum verba ista forte latius patere, atque iis non modo vitas, sed et fragmenta Nepotis intelligi. Haerenti, dubitantique mihi quid faciendum esset, quum modo existimabam disquisitionem absolvisse, modo verebar ne suavem tanti laboris, totque lucubrationum fructum, neglectis fragmentis, amitterem, tandem commodissimum visum est, quotquot fragmenta Cornelii nostri res gravioris momenti continerent, ea, quatenus fieri posset, censurae subiicere.

Nepotis fragmentorum e variis scriptoribus collectorum duo sunt genera: altero *rerum gestarum veritas*, altero *vocabulorum bonitas* probatur: illud ad *fidem historicam*, hoc ad *regulas grammaticas* pertinet; illud *criticam historiam*, hoc vero *grammaticam* requirit. Mihi igitur relinquitur ut videam *quid* scripserit Nepos, quibusve ex fontibus hauserit; non quibus *verbis* usus sit. — Omittam tamen *praefationem* auctoris: primum, quod de re omnium quarum in ea mentio iniicitur, ut opinor, gravissimâ, de matrimonio scilicet Cimonis cum sorore, iam supra disserui; deinde, quod reliqua, de quibusdam

institutis, moribusque veterum eodem loco tradita, a Magio, Heusingero, aliisque, quantum fieri potuit, explanata videntur. Et quoniam minime postulandum est ut de universis Nepotis fragmentis novum conficiam volumen, praeter praefationem et ea fragmenta quae ad Grammaticam pertinent, plura adhuc omittam. Partim quidem quae a Schotto tractata sunt, cuius verba repetere nolo; partim quae ipse Plinius, ex cuius opere deprompta sunt, refutavit, ut Cap. VII, n°, 8. (1). VIII, 3. X, 3; alia quae a quaestionis argumento huiusque operis consilio prorsus aliena videntur, veluti cap. V, n° 1, 5, 6, 7, 8, 9, 10, (de quo tamen vid. Heusinger.) 11. VI, 3.; tum ea quae res ad ipsa Nepotis tempora pertinentes atque vix in dubium vocandas continent, ut cap. IV. n° 2. VIII, 6, 7. X, 1, 2, 7. XI, 2. (2); quibus addam cap. VI, n° 1. Exstant etiam nonnulla de quibus me nihil prorsus dicere, nedum certi quid statuere, posse, plane profiteor quare de iis tacere, quam vanis coniecturis indulgere, melius visum. — Nunc ad propositum veniam, et pro viribus ac facultatibus de caeteris Nepotis fragmentis agam sequente disputatiuncula, quam comprehendet haec

(1) In iis ordinandis sequor Heusingerum.

(2) N° 3 Cap. XI. non Cornelio Nepoti, verum Cornelio Tacito adiudicandum censuerunt viri docti.

APPENDIX

CORNELII NEPOTIS FRAGMENTORUM.

CHRONICORUM LIB. I.

CAP. I.

Nº 1. « De Homero et Hesiodo inter omnes « fere scriptores constitit, utrumque vixisse ante « Romam conditam, ut Cornelius Nepos in primo « Chronicorum de Homero dixit, annis circiter « *centum et sexaginta*." A. Gellius, lib. XVII. c. 21.

Est aliud de eadem re Nepotis fragm. cap. XI. n. 4: « Homerus poëta in Graecia claruit, ut « ait Cornelius Nepos, ante Olympiadem primam, « ante urbem conditam anno *centesimo vicesimo* « *quarto*." Freculfus Lexoviensis Chron. Tom. I. L. III. c. 7.

Valde haec claudicant; aut desunt nonnulla post verba *ante Olympiadem primam*, aut falsum est quod de ann. 124 proditur. Scripsisse

de Homeri aetate in Chronico suo Nepotem novimus: poëtae igitur aetatem ad unum et idem tempus referre debuit, et non modo ad ann. 160, modo ad ann. 124 ant. U. C. Mendum in his latere certum est. De Homeri aetate classicum locum secutus esse Nepos videtur ex his Gellii verbis: *omnes fere scriptores* —, *ut Corn. Nepos.* Classicus ille locus invenitur apud Herodot. L. II. c. 53: « Ἡσίοδον γὰρ, inquit, καὶ Ὅμηρον, ἡλικίην τετρακοσίοισι ἔτεσι δοκέω μευ πρεσβυτέρους γενέσθαι, καὶ οὐ πλέοσι" (1). Natum esse ipsum Herodotum Olymp. LXXIV, an. 1. i. e. ant. Chr. 484, constat; ita natus fuerit Homerus an. a. Ch. 884. — Si revera de hac re Herodoto credidit Nepos, priori loco falso scriptum legimus an. *centum et sexaginta*, et posteriori loco verba *ante Olympiadem primam*, ut a rude quodam producta, removenda sunt, atque pro *vicesimo* legendum *tricesimo*; in hac autem voce literas *tri* facillime in *vi* transire potuisse nemo non videt. Itaque alterum fragmentum sic restituo: « Homerus poëta in Graecia claruit, ut ait Cornelius Nepos, ante urbem conditam anno centesimo tricesimo quarto," i. e. an. ant. Ch. 884; namque secundum Nepotianam rationem (ut ita dicam) Romam Olymp. VII. an. 2. i. e. ant. Ch. 750, conditam fuisse, docet sequens fragmentum.

---

(1) Ubi vid. Wesseling.

N° 2. « Nepoti et Lutatio Romam placet con-« ditam Olympiadis septimae anno secundo." Solinus, c. 2.

Cum Q. Lutatio Catulo (2) de Romae conditione secutus est Nepos opinionem Polybii, ut patet ex huius op. fragm. apud Dionys. Halic., Antiq. Rom. L. I. c. 74, quem de hac re disputantem vide.

N° 3. « Archilochum, Nepos Cornelius tra-« dit, Tullo Hostilio Romae regnante, iam tunc « fuisse poëmatis clarum et nobilem." A. Gellius, Lib. XVII. c. 21.

Regnante Romulo Archilochum floruisse, tradit Cic. Tuscul. Quaest. L. I. c. 1. Aequalem vero Gygis, qui iisdem temporibus atque Numa imperium tenuit, eum facit Herodot. L. I. c. 12: cuius loci meminisse videtur Tatianus (3): ὁ δὲ Ἀρχίλοχος ἤκμαζε περὶ Ὀλυμπιάδα τρίτην καὶ εἰκοστὴν, κατὰ Γύγην τὸν Λυδὸν, κ. τ. λ. Potuit sane Numae aetati superesse, et Tulli Hostilii temporibus adhuc clarus haberi Archilochus. Sed de eius aetate etsi plures disputarunt, nihil certi statui potest.

N° 4. « M. Manlius Romae, qui Gallos in « obsidione Capitolii obrepentes per ardua depu-« lerat, convictus est, consilium de regno occu-« pando iniisse: damnatusque capitis, e saxo « Tarpeio, ut M. Varro ait, praeceps datus est:

(2) De quo vid. Voss. *de Hist. Latin.* p. 38.
(3) Ap. Voss. *de Histor. Gr.* p. 5.

« ut Cornelius autem Nepos scriptum reliquit, « verberando necatus est." A. Gellius, Lib. XVII. c. 21.

M. Manlium, cum ab adscensu Capitolii Gallorum impetum repulisset, non fuisse contentum beneficii sui gloria, sed regnum appetiisse, affirmant in primis Cic. in Orat. pro Domo, c. 38., Liv. lib. VI. c. 20. Quo supplicio ob scelestum consilium affectus sit, non dicit Cicero; at eum de saxo Tarpeio deiectum, cum Varrone testatur et Livius, l. c. Eum vero verberibus necatum nescio quis cum Nepote scripserit.

N° 5. « Alexander Magnus Pellae oritur, ut « Nepos edidit, M. Fabio Ambusto, Tito Quin- « ctio Capitolino Coss. post Romam conditam « anno trecentesimo octogesimo quincto." Solin. c. 40.

Secundum Gellium, lib. XVII. c. 21. ortus est Alexander « circa annum quadringentesimum," ubi interpretes: « Natus est Alexander M. an. 1. Olympiad. CVI. mensis Hecatombaeonis, quo die templum Dianae ab Herostrato incensum conflagravit, ut scribit Plutarchus in Alexandro, et Diod. Sic. L. 16. Item Anonymus in Descript. Olympiad. ad eiusdem Olymp. annum. Qui secundum Varronem est ann. U. C. 398." — Exstare igitur inter Varronis et Nepotis supputationem differentia 13 annorum videtur. Atqui M. Fabium Ambustum et T. Quinctium Capitolinum Coss. creatos esse an. U. C. 400, ostendunt Liv. lib. VII. c. 18. et Fasti. Quis autem putat Nepotem adeo

fuisse rudem ut eorum consulatum ad annum 385 referret ? Si in hac quoque re Polybii de Romae conditione opinionem conservavit Nepos, scripsisse eum necesse est *tricesimo nonagesimo quinto*.

N° 6. « Publius Terentius maxime familia- « riter vixit cum Scipione Africano et C. Lae- « lio :— Fenestella contendit utroque maiorem « natu fuisse ; quamvis et Cornelius Nepos ae- « quales fuisse tradat." Sueton. P. Terentii Vita, princip. (edit. Pitisci p. 1100).

De hac re multum disputare non opus est, quoniam interpretes hoc munere functi sunt. Terentium Laelii familiarem fuisse liquet in primis ex Cic. Lael. sive de Amicit. c. 24. Eum etiam Scipioni Africano fuisse iucundissimum, maxime inde patet quod nomen *Publii* ab eo accepit. Fuit igitur et virorum istorum aequalis.

CAPUT II.

EXEMPLORUM LIB. V.

N° 2. « Cornelius Nepos in libro exemplo- « rum quinto literis mandavit, multis in Senatu « placuisse, ut ii, qui redire nollent, datis cus- « todibus, ad Hannibalem deducerentur : sed « eam sententiam numero plurium, quibus id non « videretur, superatam; eos tamen, qui ad Han- « nibalem non redissent, usque adeo intestabiles invisosque fuisse, ut taedium vitae ceperint, ne-

« cemque sibi consciverint." A. Gell. Lib. VII. c. 18.

Intelligit Nepos legatos, quos, post proelium Cannense, Romam de permutandis redimendisque captivis misit Hannibal. Decem eos fuisse iureiurando adstrictos se redituros, nisi redemptionem impetrassent, constat inter veteres. Rem narrat Cicero, de Offic. lib. I. c. 13., repetitque eam lib. III. Offic. c. 32., hoc modo: « Ut laudandus Regulus in conservando iureiurando, « sic decem illi, quos post Cannensem pugnam « iuratos ad Senatum misit Hannibal, in castra « redituros ea, quorum potiti erant Poeni, nisi « de redimendis captivis impetrassent, si non redierunt, vituperandi. *De quibus non omnes « uno modo:* nam Polybius, bonus auctor in « primis, scribit, ex decem nobilissimis, qui « tum erant missi, novem revertisse, a Senatu re « non impetrata: unum ex decem, qui paullo « post, quam egressus erat e castris, redisset, quasi « aliquid esset oblitus, Romae remansisse. Redi- « tu enim in castra liberatum se esse iureiuran- « do interpretabatur: non recte; fraus enim ad- « stringit, non dissolvit periurium. Fuit igitur « stulta calliditas, perverse imitata prudentiam. « Itaque decrevit Senatus, ut ille veterator et cal- « lidus vinctus ad Hannibalem duceretur." etc. Sumsit haec Cicero ex Polyb. lib. VI. p. 499. sq., ut et Liv. lib. XXII. c. 58 et 61, init. Gellius, lib. VII. c. 18, refert ex decem legatis *duos* Romae remansisse, qui commenticio consilio, solu-

tos sese ac liberatos religione arbitrabantur. De numero igitur discordia inter veteres fuit, ut declarat Cicero l. c. extr. his: « Acilius autem, qui « Graece scripsit historiam, *plures* ait fuisse, qui in castra revertissent, eadem fraude, ut iu« reiurando liberarentur, eosque a censoribus « omnibus iguominiis notatos." — Ex his verbis liquet plures saltem *uno* Romam revertisse, neque eos ad Hannibalem deductos, verum infamia notatos esse; quod vult, praeter Gellium, Nepos, qui Acilium probasse videtur. Alium autem de eadem re insignem locum apud Liv. lib. XX. c. 61. non omittam; « Est et alia," inquit Livius, « de captivis fama, decem primos venisse, de eis « quum dubitatum in Senatu esset, admitterentur « in urbem, nec ne; ita admissos esse, ne tamen « iis senatus daretur. Morantibus deinde longius « omnium spe, alios tres insuper legatos venisse, « L. Scribonium, et C. Calpurnium, et L. Man« lium. tum demum ab cognato Scribonii tribuno « plebis de redimendis captivis relatum esse, nec « censuisse redimendos Senatum: et novos lega« tos tres ad Hannibalem revertisse, decem ve« teres remansisse; quod, per causam recognos« cendi nomina captivorum ad Hannibalem ex iti« nere regressi, religione sese exsolvissent: *de iis « dedendis magna contentione actum in Senatu « esse: victosque paucis sententiis, qui dedendos « censuerint. ceterum proximis censoribus adeo « omnibus notis ignominiisque confectos esse, « quidam eorum mortem sibi ipsi consciverint.*"

Posteriora ex eodem auctore, quem Acilium fuisse haud iniuria suspicor, eisdem fere verbis transtulerunt Nepos et Livius; subiungitque hic: « Mirari magis, adeo discrepare inter auctores, quam, quid veri sit, discernere queas, »

De CAIO ACILIO autem, quem excitat etiam Plutarch. in Romulo, mihi dicendum. Vossius (4) putat esse C. Acilium Glabrionem, qui an. U. C. 551 quaestor provincialis, et an. 556 tribunus plebis fuit (5): quod negare Chapmannum ap. Pearcium ad Cic. l. c., eumque centum annis iuniorem facere, docet me Ernestus in Clav. Cicer. voc. *Acilius*. Sed Chapmannum de Acilii aetate deceptum fuisse, non difficile erit ostendere. Acilii *Annales* ex Graeco in Latinum sermonem vertit Claudius, teste Livio, libb. XXV. c. 39. XXXV. c. 14. Claudium autem hunc eundem esse atque *Claudium Quadrigarium*, a Gellio saepius laudatum, neminem inficias iturum puto. Eiusdem mentionem facit Velleius Paterculus, lib. II. c. 9: « Historiarum auctor iam tum (Numantico bello, an. ant. Ch. 146 orto) Sisenna erat iuvenis; ...... vetustior Sisenna fuit Coelius; aequalis ... *Claudius Quadrigarius.* » Ex his omnibus apparet Acilium quoque nostrum Claudio Quadrigario vetustiorem, et saltem Polybii aequalem fuisse. Quare vix putandum in errorem incidisse Vossium. Cui si credimus, reque

(4) Voss. *de Hist. Gr.* p. 113.
(5) Vid. Liv. lib. XXXII. c. 29.

vera Acilius historicus quaestor fuit an. U. C. 551, inde efficere poterimus, eum eo tempore quo pugna Cannensis commissa est, et Hannibal legatos illos de redimendis captivis Romam misit, iuvenem Romae degisse, atque postea non audita, sive ab aliis accepta, verum cognita de iisdem legatis tradidisse. Sed mihi obiicietur Polybius, qui a testibus oculatis sua accipere potuit. Itaque nihil statuo, nec Cicerone, Livioque plus sapere volo.

CAPUT III.

Incerta

quo libro virorum illustrium posita.

N° 2. « Carthago antea speciem habuit dupli-
« cis oppidi, quasi aliud alterum amplecteretur:
« cuius interior pars *Byrsa* dicebatur, exterior
« *Magalia*. Huius rei testis est Cornelius Nepos
« in eo libro, qui Vita illustrium inscribitur."
Servius ad I. Aeneid. v. 372.

De utraque parte ita Virgilius, Aen. L. I. v. 421:

« Miratur molem Aeneas, *magalia* quondam."

et vers. 365, sqq. de Didone eiusque sociis:

« Devenere locos, ubi nunc ingentia cernes
« Moenia, surgentemque novae Carthaginis arcem:
« Mercatique solum facti de nomine *Byrsam*,
« Taurino quantum possent circumdare tergo."

Ex his et ex Appian. de Bell. Pun. init., qui veterem de Carthaginis conditione famam plenius exposuit, colligimus antiquissimis temporibus eo loco, quo postea Poenorum exstitit civitas, *magalia* sive *mapalia* (6), i. e. aedificia agrestia, casas, et quidem initia urbis posita esse; posterioribus vero temporibus Didonem, cum sociis suis Pygmalionis tyrannidem fugientem, eo devenisse, ubi iam ante ex Phoenicibus sedem aliquos posuisse comperterat; hanc sedem avectis e patria opibus munivisse, et ad *magalia* adiecisse arcem, quae inde Byrsa, Gr. Βύρσα, ut me docet Sickler (7) per Metathesin ex Phoenic. *Bozrah*, i. e. *munitus locus*, *arx*, quam deinde vocem Graeci, ob similitudinem, fabulis e *corio* suo bubulo deformarunt: est enim apud Graecos Βύρσα, *corium*. Sic Carthago in duas dividebatur partes; in *vetus oppidum*, ubi *magalia*; et in *novum*, ubi arx *Byrsa*. Recte igitur de duplici urbis specie scripsisse Nepos videtur.

N° 4. « A. Albinus, qui cum L. Lucullo consul fuit, res Romanas oratione Graeca scriptitavit. In eius historiae principio scriptum est ad hanc sententiam. Neminem succensere sibi, convenire, si quid, in his libris parum composite, aut minus eleganter scriptum foret:

---

(6) Vid. Sallust. *Bell. Jugurth.* c. 18. Conf. Virgil. *Georg.* III, 340.

(7) F. C. L. Sickler, *Handbuch der alten Geographie*, p. 834, qui scriptores de Carthag. excitat.

« Nam sum, inquit, homo Romanus, natus in « Latio: Graeca oratio a nobis alienissima est.” « Ideoque veniam gratiamque malae existimatio- « nis, si quid esset erratum, postulavit. Ea cum « legisset M. Cato: « Nae tu, inquit, Aule, ni- « mium nugator es, quum maluisti culpam de- « precari, quam culpa vacare. Nam petere ve- « niam solemus, aut quum imprudentes erravi- « mus, aut quum compulsi peccavimus. Tibi, « inquit, oro te, quis pepulit, ut id committe- « res, quod, priusquam faceres, peteres, ut ig- « nosceretur?” Scriptum hoc est in libro Cor- « nelii Nepotis de *illustribus Viris*.” — A. Gellius, Lib. XI, c. 8. et Macrob. Saturn. prooem. extr.

Invenisse haec inter aliorum ipsiusque Catonis multa facete dicta, *ἀποφθέγματα* vocata (8), eaque in istius vita, quae periit, narrâsse Nepotem, nullus dubito. Eadem refert Plutarch. in Cat. (p. 345.) et in Apophthegm. (p. 199). De Albino, qui est Aulus Postumius Albinus, vid. Voss. de Hist. Gr. p. 151. Eum cum L. Lucullo consulatum gessisse, Graece historiam scripsisse, et literatum disertumque fuisse, testatur Cic. Brut. c. 21. Sed Cato res civitatis suae patrio sermone legi malebat. Hinc acerbus iocus.

(8) Citantur a Cic. *Offic.* I. 29. et a Plut. in *Cat.*

DE VITA CICERONIS LIB. I.

CAP. IV.

Nº 1. « Cornelius Nepos et rerum memoriae « non indiligens, et M. Ciceronis, ut qui maxi« me, amicus familiarisque fuit. Atque is tamen « in primo librorum, quos de vita illius compo« suit, errassé videtur, quum eum scripsit tres « et viginti annos natum, primam causam iudicii « publici egisse, Sextumque Roscium, parricidii « reum, defendisse.” A. Gellius, Lib. XV. c. 28.

Ciceronem tunc annos iam septem atque viginti natum fuisse perhibet Gellius, additque: « in hac « re etiam Fenestellam errasse Pedianus Asconius « animadvertit, quod eum scripserit sexto vice« simo aetatis anno pro Sex. Roscio dixisse.”

Si erravit Fenestella in eundem errorem incidit Middleton, *Life of Cicero*, Vol. I. p. 37. quem vide.

Incerta,

partim quo libro posita, partim quibus verbis concepta.

CAP. VI.

Nº 2. « Lucius Otacilius Pilitus, rhetoricam « professus, Cn. Pompeium Magnum docuit, pa« tris eius res gestas, nec minus ipsius, complu« ribus libris exposuit: primus omnium liberti« norum, ut Cornelius Nepos opinatur, scribere

« historiam orsus, non nisi ab honestissimo quo-
« que scribi solitam." Sueton. de clar. Rhetor.
c. 3.

« Huius testimonii veritatem qui Cic. de Leg.
« L. I. c. 2. cum Bruto contulerit, aut primum
« Vossii librum de historicis Latinis perlegerit,
« agnoscet; nam antiquissimi illi historici omnes
« belli pacisve artibus conspicui fuerunt." G. Groen
van Prinsterer, Disp. de L. Coelio Antipatro, etc.
p. 8. n. 15. — Caeterum de ipso Pilito, Cn. Pom-
peii liberto, vid. Voss. de Hist. Latin. p. 40.

CAP. VII.

N° 4. « Eudoxus quidam, avorum nostrorum
« temporibus, quum Lathurum, regem Alexan-
« driae, profugeret, Arabico sinu egressus, per
« hoc pelagus, ut Nepos adfirmat, Gades usque
« provectus est." Sequuntur haec: « multoque
« ante eum Coelius Antipater (auctor est) vidisse
« se, qui navigasset ex Hispania in Aethiopiam com-
« mercii gratia." Pomp. Mela, III. 9. Plin. H. N.
II. 27. Mart. Capella, Lib. VI.

Hoc fragmentum etiam inter L. Coelii Antipatri
fragmenta recensuit Groenius, Disput. etc. p. 72.
cuius verba et notas ad h. l. adscribam:

« Multum a multis disputatum est an vete-
« res Africam circumnavigassent (124); idoneis

---

(124) « Jam ipsi antiqui scriptores de hac re dissense-
« runt: vid. quos citat Cl. Bake *de Posidonio* p. 101 sq.".

« argumentis probari posse videtur, iam Herodoti « aetate illud factum fuisse (125): quam ob rem « probabilitati minime repugnat statuere Coelio « hac in re fidem esse habendam." — Nec igitur Nepoti fides neganda videtur. De hac navigatione vid. de Montesquieu, Esprit des Lois, L. XXI. c. VI. sub fin. edit. Amstel. 1749. in 4°. pag. 275, sive eiusd. lib. c. X. init. edit. stereot. De Eudoxo quod memorat Nepos a Posidonio accepisse iam suspicatus est V. Cl. Bake, de Posidonio, p. 103. Totam autem Eudoxi historiam, qui Libyam circumnavigarit, ab ipso Posidonio proditam, repetivit Strab. II. p. 155—158; in fine haec sunt: ἐγὼ μὲν οὖν, φησὶ (Ποσειδώνιος), μέχρι τοῦδε τῆς περὶ τὸν Εὔδοξον ἱστορίας ἥκω· τί δ' ὕστερον συνέβη, τοὺς ἐκ Γαδείρων καὶ τῆς Ἰβηρίας εἰκὸς εἰδέναι. Vid. Bake, l. c. p. 102. — Sequuntur haec, quibus incipit fragm. Nepot. c. VII. n. 1: Ἐκ πάντων δὴ τούτων φησὶ (Ποσειδώνιος) δείκνυσθαι, διότι ἡ οἰκουμένη κύκλῳ περιῤῥεῖται τῷ Ὠκεανῷ. — Vid. Schott. ad illum Nostri locum.

---

(125) « Herodoti testimonium L. IV. c. 42. infringere « conatus est Mannert, *Geographie der Griechen und Römer;* « sed refutarunt ipsum doctus Anglus Rennel, in *Geographia* « *Herodotea*, et Cl. de Rhoer, in Diss. de *ἀξιοπιστίᾳ Hero-* « *doti*, qui ostenderunt Herodotum non temere famae cre- « didisse: porro expeditionem illam rege dignam fuisse, « qui tum Aegypto imperabat: multa impedimento fuisse, « quominus maiores haberet sequelas: denique navigatio- « nem per littora ob navium formam multo fuisse facilio- « rem, quam nostris temporibus."

N° 5. « Paphlagonia insignis loco Heneto, a « quo, ut Cornelius Nepos perhibet, Paphlago« nes in Italiam transvecti, mox Veneti sunt no« minati." Solinus, c. 56. ex Plinio VI. 2.

Huius sententiae Nepoti, aut scriptori quem secutus est, ansam praebuerunt Homerus et Herodotus. Haec poëta, Il. B. vs. 851, sq.

« Παφλαγόνων δ' ἡγεῖτο Πυλαιμένεος λάσιον κῆρ
Ἐξ Ἐνετῶν,"

ubi Schol. ἘΝΕ. πόλεως Παφλαγονίας —; et *Heyn.* « Esse debuere plures Paphlagonum tribus; nunc « memorantur ii, qui erant ex genere *Heneto*« *rum.* Παφλαγόνες ἐξ Ἐνετῶν, seu Παφλαγόνες « Ἐνετοί. Sunt iidem qui post tempora Troiana « in Italiam venisse dicti sunt" — atque sedes ad mare Adriaticum posuisse. Eo autem adventi, nomen tribus, i. e. proprium suum nomen, non immutarunt, sed perpetuo Fενετοί, *Veneti*, appellati sunt. Ἐνετῶν τῶν ἐν Ἀδρίῃ mentionem facit Herodot. Lib. V. c. 9. Cf. Lib. I. c. 196. Item Polyb. Lib. II. p. 105. D.

Suspicatur Heynius, *Excurs.* VII† *ad Lib.* I. *Aeneid. Virgil.* Nepotem haec de Venetis sumsisse e *Catone*, qui, ut apparet ex Plin. *Hist. N.* III, 19, eadem de iis tradiderat (in Originibus suis).

Catonem aut Nepotem respicere videtur Terentianus Maur. vs. 655:

« Quos Homerus dixit Ἐνέτους, *Ille* VEnetos autumat."

Conf. tamen P. Hofm. Peerlkamp, in *Biblioth. Crit. Nova.* Vol. II. p. 14.

CAP. VIII.

N° 1. « Alpes in longitudinem X. M. pass. pa-« tere a supero mari ad inferum, Coelius tradit; « Timagenes XXII. M. pass. deductis: in lati-« tudinem autem Cornelius Nepos centum M.; « T. Livius tria M. stadiorum, uterque diversis « in locis." Plin. H. N. L. III. c. 19.

« Dissensus igitur Nepotis et Livii explicatur; « quod alter alteram tractus partem intellexerit: « et simili quoque modo ratio reddenda est, cur « etiam Coelius et Timagenes non eundem pas-« suum numerum scripserint. *Supero* mari Ha-« driaticum, *infero* Tyrrhenum significari no-« tissima res est, de qua cf. Cellarius in Notit. « Orbis Antiqui Part. I. L. II. c. 9. p. 405, sq. « Timagenes autem, qui h. l. citatur, est, ut vi-« detur, Timagenes ille Syrus, qui res Gallicas « prodidit, incertae auctor aetatis, de quo Vid. « Voss. de Hist. Gr. L. 3. p. 191." (p. 420.) G. Groen, Disp. de L. Coelio Antip. p. 41.

N° 4. « Aliqui inter Pontum et Caspium ma-« re CCCLXXV. M. pass. non amplius inter-« esse tradiderunt: Cornelius Nepos CCL. mil-« lia." Plin. VI, 11.

Apud Schottum vero legitur CL. millia, dicit-que is duo Plinii MS. CCL. M. habere. Illam autem veram esse lectionem eo facilius mihi per-suadeo, quod Nepos de isthmi huius dimensione credidit Posidonio, qui, ap. Strab. XI. p. 752, B. χιλίων πεντακοσίων (σταδίων) εἴρηκε τὸν ἰσθμὸν, in-

ter Pontum et Caspium mare; qua in re a Strabone reprehenditur. Iam, 1,500 stadia (pythica) efficiunt 150,000 pass. — « Ex ultimi belli Mithridatici historia a Pompeio, qui cum exercitu regiones illas adiit, confecti, haec desumta esse, dubium prorsus esse nequit.» (9). Nepotem enim etiam Pompeii Magni vitam enarrasse, quis dubitat?

CAP. IX.

N° 1. « Νέπως δὲ Κορνήλιος, οὐχ ὑπὸ γήρως, φησὶν, οὐδὲ νόσου παραλλάξαι τὸν Λούκουλλον, ἀλλὰ φαρμάκοις ὑπό τινος τῶν ἀπελευθέρων Καλλισθένους διαφθαρέντα. Τὰ δὲ φάρμακα δοθῆναι μὲν ὡς ἀγαπῷτο μᾶλλον ὁ Καλλισθένης ὑπ' αὐτοῦ, τοιαύτην ἔχειν δοκοῦντα τὴν δύναμιν· ἐκστῆσαι δὲ καὶ καταλῦσαι τὸν λογισμὸν, ὥστ' ἔτι ζῶντος αὐτοῦ τὴν οὐσίαν διοικεῖν τὸν ἀδελφόν.» Plutarch. in Lucull. extr. p. 520. (Vol. III. p. 198).

Eadem tradidit idem Plutarchus in libello εἰ πρεσβυτέρῳ πολιτευτέον, ostendente A. Schotto, quem ad h. l. Nep. vide. Quod vero ad rem ipsam attinet, nullibi legi Lucullum a quodam liberto Callisthene venenis fuisse corruptum. Tradidisse hoc Noster videtur in Vita L. Lic. Luculli, etsi Schottus ad hoc fragm. et in Prolegom. suae Aurel. Victoris edit. falso Nepoti attributum esse putat.

(9) Heeren., de *font. Plut.* p. 142.

N° 2. « Νέπως ὁ Κορνήλιος φησὶν, ἐκ Κράσσου, « Βρούτου δὲ θριαμβεύσαντος ἀπὸ Λουσιτανῶν θυγα- « τέρα γῆμαι Γάϊον.» Plut. in Gracch. p. 834. (Vol. IV. p. 380).

Neque hoc a Cornelio nostro scriptum fuisse putat Schottus in Prolegom. Ego vero in Gracchorum vita id prodidisse Nepotem contenderem, et quidem forte ex Annalibus Titi Pomp. Attici, qui M. Bruti rogatu Iuniam familiam a stirpe ad suam usque aetatem ordine numeraverat (10).

N° 3. « Ἀννίβας δὲ τῶν μὲν ἄλλων ἐλάχιστος ἦν « λόγος, Μάρκελλον δὲ πεπτωκέναι πυθόμενος, αὐτὸς « ἐξέδραμεν ἐπὶ τὸν τόπον. Καὶ τῷ νεκρῷ παραστὰς, « καὶ πολὺν χρόνον τήν τε ῥώμην τοῦ σώματος κατα- « μαθὼν καὶ τὸ εἶδος, οὔτε φωνὴν ἀφῆκεν ὑπερήφα- « νον, οὔτε ἀπ' ὄψεως τὸ χαῖρον, ὡς ἄν τις ἐργώδη « πολέμιον καὶ βαρὺν ἀπεκτονὼς, ἐξέφηνεν· ἀλλ' ἐπι- « θαυμάσας τὸ παράλογον τῆς τελευτῆς, τὸν μὲν δακ- « τύλιον ἀφείλετο, τὸ δὲ σῶμα κοσμήσας πρέποντι « κόσμῳ, καὶ περιστείλας ἐντίμως ἔκαυσε, καὶ τὰ « λείψανα συνθεὶς εἰς κάλπην ἀργυρᾶν, καὶ χρυ- « σοῦν ἐμβαλὼν στέφανον, ἀπέστειλε πρὸς τὸν υἱόν. « 4.) Τῶν δὲ Νομάδων τινὲς περιτυχόντες τοῖς κομίζουσιν, « ὥρμησαν ἀφαιρεῖσθαι τὸ τεῦχος. Ἀντιλαμβανομένων δ' « ἐκείνων, ἐκβιαζόμενοι καὶ μαχόμενοι διέρριψαν τὰ ὀστᾶ. « 5.) Πυθόμενος δὲ Ἀννίβας, καὶ πρὸς τοὺς πα- « ρόντας εἰπὼν, οὐδὲν ἄρα δυνατὸν γενέσθαι ἄκοντος

(10) Vid. Nep. *Attic.* c. 18., et nos supra pag. 166.

« θεοῦ τοῖς μὲν Νομάσιν ἐπέθηκε δίκην, οὐκ ἔτι δὲ « κομιδῆς ἢ συλλογῆς τῶν λειψάνων ἐφρόντισαν· ὡς δὴ « κατὰ θεόν τινα καὶ τῆς τελευτῆς καὶ τῆς ἀταφίας « παραλόγως οὕτω τῷ Μαρκέλλῳ γενομένης. — »

« 6.) Ταῦτα μὲν οὖν οἱ περὶ Κορνήλιον Νέπωτα « καὶ Οὐαλλέριον Μάξιμον ἱστορήκασι. Λίβιος δὲ καὶ « Καῖσαρ ὁ σεβαστὸς κομισθῆναι τὴν ὑδρίαν πρὸς τὸν « υἱὸν εἰρήκασι, καὶ ταφῆναι λαμπρῶς." Plut. in Marcell. extr. p. 315. (Vol. II. p. 280).

Apud quem auctorem legerit Nepos, Marcelli ossa, dum Romam transferrentur, Numidis disiecta fuisse, sepulturaque caruisse, nescio. De ossibus similia (forte ex ipso Nepote) inveniuntur apud Aurel. Vict. cap. 45. « Quinquies consul (M. Marcellus) insidiis Annibalis deceptus occubuit, et magnifice sepultus est. Ossa Romam remissa, a praedonibus intercepta perierunt."

Iam maxime interest fueritne sepultura privatus Marcellus? Affirmat Cicero ex Catonis Originibus (11), « *M. Marcelli interitum ne crudelissi-* « *mum quidem hostem honore sepulturae carere* « *passum esse.*" Consentiunt igitur in hac re Cato, Tullius, Livius et Aurelius. Sed praeterea Caesar Augustus (12), teste Plutarcho, affirmavit « *perlatam ad filium Marcelli urnam, et honori-* »

(11) Vid. Cicero, *de Senect.* c. 20.

(12) In *Laudatione funebri* Claudii Marcelli, cui filiam unicam Juliam desponderat. Vid. Heeren *de font.* etc. *Plut.* p. 184.

« *fice sepultas eius reliquias fuisse.*" Quibus simillima leguntur ap. Appian. Ἀννιβ. p. 542. C, D. « Αὐτοῦ (Μαρκέλλου) τῷ σώματι ὁ Ἀννίβας ἐπι-« στὰς — τὸν δακτύλιον αὐτοῦ περιελὼν, τὸ μὲν σῶ-« μα ἔκαυσε λαμπρῶς, καὶ τὰ ὀστᾶ τῷ παιδὶ προσέ-« πεμψεν ἐς τὸ Ῥωμαίων στρατόπεδον." Itaque Nepoti de hac re haud fides est habenda. — Caeterum prodidisse eam in libro de Imperatoribus Romanis; et quidem in Marcelli vita, dubium esse nequit.

N° 7. « Ἀννίβαν δὲ Μάρκελλος, ὡς μὲν οἱ περὶ « Πολύβιον λέγουσιν, οὐδὲ ἅπαξ ἐνίκησεν, ἀλλ' ἀήτ-« τητος ἀνὴρ δοκεῖ διαγενέσθαι μέχρι Σκιπίωνος. Ἡμεῖς « δὲ Λιβίῳ, Καίσαρι καὶ Νέπωτι, καὶ τῶν ἑλληνικῶν « τῷ βασιλεῖ Ἰόβᾳ πιστεύομεν, ἥττας τινὰς καὶ τρο-« πὰς ὑπὸ Μαρκέλλου τῶν σὺν Ἀννίβᾳ γενέσθαι." Plut. ibid. p. 517. (Vol. II. p. 284).

Mirum equidem Nepotem, si in Marcelli vita Hannibalem ab eo victum scripsit, non sibi ipsum constitisse. Supra enim, Hannib. c. 1. dixerat: « *Quotiescunque cum eo* (populo Romano) « *congressus est* (Hannibal) *in Italia*, « *semper discessit superior.* Iterum, cap. 5: « *Quamdiu in Italia fuit*, *nemo ei in acie* « *restitit*, *nemo adversus eum post Cannensem* « *pugnam in campo castra posuit.* Et subinde, cap. 6: *Hic invictus patriam defensum revocatus.* Qua de re credidit Polybio, lib. IX. p. 545, A. lib. XV. p. 699. D. (et forte alibi), ad quos locos respexit Plutarchus. Polybium quoque potissimum probavit auctorem Diodorus Sic.

Eclog. lib. XXVI. Tom. II. edit. Wessel. p. 575. vs. 57 — 63: "Ἀήττητος δὲ ἐν πάσαις ταῖς μάχαις ἐγέ-« νετο (ὁ Ἀννίβας), τηλικαύταις δὲ καὶ τοσαύταις « πράξεσι τοὺς τῆς οἰκουμένης ἡγεμόνας ἐνίκησεν, « ὥστε διὰ τὸ πλῆθος τῶν κατακοπτομένων ὑπ' αὐτοῦ, « μηδένα ποτὲ τολμᾷν ἔτι κατὰ στόμα μαχέσθαι « πρὸς αὐτόν." — Copias tamen Hannibalis sive victas (ut a Marcello apud Nolam), sive fugatas, scribunt Cicer. Brut. c. 3., Liv. lib. XXIII. c. 16. 46. XXVII, 26. et al. loc., Appian. Ἀννίβ, p. 338, B., Aurel. Vict. c. 42.

Egregie observat Heusingerus ad h. Nostri loc., *non tam ipsum Hannibalem, quam alias eius copias in fugam vertisse Marcellum*; affirmatque ipse Plutarchus μεγάλην αὐτὰς (ἥττας καὶ τροπὰς) ῥοπὴν οὐδεμίαν ποιῆσαι: quae verba hanc vim habent, ut numquam in Italia a Romanis plane devictus fuerit Hannibal, quod neque volunt ipsi auctores modo citati. Quid? apud ipsum Livium, lib. XXX. c. 20., ut apud Nepot. Hannib. c. 1. legimus *vicisse Hannibalem non populum Romanum, toties caesum fugatumque, sed Senatum Carthaginiensem obtrectatione atque invidia.*

Caeterum de Iuba, Numidarum principe, ἱστοριῶν Ῥωμαϊκῶν scriptore, quem excitat Plutarchus, videantur Voss. de Hist. Gr. p. 175. Heeren, de fontib. etc. Plut. p. 144.

Hactenus de Cornelii Nepotis reliquiis! Si sint quibus non satisfaciat hoc opus, considerent ii, quid sibi velit, non *mera* quidem disquisitio, sed disquisitio *critica* de fontibus et auctoritate, et quam late pateat quaestionis argumentum: porro, quot libri sint involvendi, quot interpretes audiendi, quot narrationes colligendae, inter se comparandae, agitandae, ut verae a falsis diiudicari queant; quoties tamen in tenebris sit versandum, et ad coniecturas confugiendum, quantisque denique cum difficultatibus luctandum; considerent, inquam, haec omnia, et, quod non minimum est, me, forte unum, iuvenilem aetatem vix egressum, tantum suspicere ausum esse laborem! Sed quum aliquando dubitatem an susceptum negotium transigerem, animum erexerunt Themistoclis verba: ἐν τοῖσι ἀγῶσι, οἵγε ἐγκαταλειπόμενοι οὐ στεφανεῦνται, tumque maiore studio perrexi, et, favente summo Deo, ad finem id perduxi. Etiamsi vix sperare audeo dignum visum iri quod proemio ornetur, tamen adeo mihi fortasse licebit esse felici, ut a celeberrima Societate de eo honorifica saltem mentio fiat (*).

(*) In hac pag. nihil mutandum existimavimus. Caeterum vide praefationem nostram.

I. INDEX

ILLUSTRIUM VIRORUM,

QUORUM VITAM CONSCRIPSIT CORNELIUS NEPOS.

1°. Ordine alphab.

2°. Temporum ordinis rerumque seriei habita ratione, excellentes illi viri in hac disquisitione de fontibus quos adiit Nepos, in *tres* classes distribuuntur. Quibus praemittitur

PRIMA CLASSIS.

ATHENIENSES, SPARTANI AC THEBANI;

ab anno circiter 500 *ad ann.* 362 *ant. Ch.*

II. INDEX AUCTORUM

QUOS AUT CERTE, AUT PROBABILITER, SECUTUS EST

CORNELIUS NEPOS.

A.

S.

T.

X.

III. INDEX

cum veterum tum recentiorum Scriptorum qui, aut semel, aut saepius, in hoc opere laudantur, vel ad C. Nepotem illustrandum, ejusve auctoritatem firmandam excitantur.

IV. INDEX

auctorum veterum et recentiorum, qui in hac disputatione emendantur, vel explicantur et illustrantur.

E R R A T A.

Pag.	2	*vers.* 21	vult	*lege*	vult
—	12	— 21	plurimis	—	pluribus
—	44	— 21	(3)	—	(5)
—	82	not. 21	(3)	—	(8)
—	97	— 18	ad Puinct. fr.	—	ad Quinct. fr.
—	129	— 12	8e de 2e série	—	8e de la 2e série
—	143	*vers.* 21	vivi	—	viri
—	149	— 24	et	—	est
—	160	— 6	Sev. Galbam	—	Ser. Galbam

Denique post pag. 171. paginarum numeri 189. 190. mutandi sunt in 172. 173.